RERUM ASSYRIARUM TEMPORA EMENDATA

COMMENTATIO

SCRIPSIT

IOANNES BRANDIS

DR. PHILOS.

BONNAE

APUD ADOLPHUM MARCUM.

LONDINI APUD O. C. MARCUM (8, OXFORD STREET).

MDCCCLIII.

Bonnae, typis Caroli Georgii.

EQUITI · INLUSTRI

CAROLO · IOSIAE · BUNSENIO

AD · EMENDANDAS · TEMPORUM
RATIONES · DUCI · PRAESTANTISSIMO

SACRUM

Praefatio.

Mirum forsitan videatur atque opera esse infructuosa, quod de Assyriorum rebus nunc agere conamur, quum quae ab inscriptionum cuneatarum explicatione exspectanda est illustratio ita in cunabulis adhuc versatur, ut tantae obscuritati hucusque nihil propemodum facis allatum videamus. Quae reputatio si potuit ab his studiis deterrere, id contra magis magisque ad ea incitavit, quod quae necessaria est semperque erit antiquitatis de rebus Assyriis testimoniorum cum documentis nuper editis etiamque edendis comparatio eo tutius progredi poterit, quo firmiore fundamento in critica illarum copiarum disquisitione posito nitetur. Cui pro virili parte consulturus eo ductus sum, ut, quum in litterarum certamine, quod anno 1850 Ordo Philosophorum Amplissimus in Universitate Rhenana his verbis proposuerat: „Ex antiquis scriptoribus historia Assyriorum critica ratione exponatur simulque qui fructus ad eam illustrandam ex Assyriacis a Botta et Layardo nuper in lucem prolatis monumentis iam nunc percipi possit, priusquam cuneatae sint explicatae inscriptiones, demonstretur," non sine successu certassem, commentationem secundis curis ita pertractarem, ut neque inscriptionum explicationes prorsus omitterem, et in iis quaestionibus, quae

ad temporum definitionem pertinent, subsisterem, ceteras omnes, quae propter lacunosissimam veterum scriptorum memoriam dubiis coniecturis amplum, certis fere nullum locum dant, ad id tempus, quo legendarum inscriptionum ars fini suo propius accesserit, delegandas esse ratus.

Denique ne singulorum huius dissertationis capitum conspectus desideretur, in priore parte de fontibus primum iis, qui ex veteribus scriptoribus manant, ita ut quae inter eos intercedat ratio, quaeque singulis fides tribuenda sit, exponatur, deinde de documentis nuper repertis agetur; in altera vero ipsam temporum rationem a certissimis ad minus certa pergentes tractabimus.

PARS PRIOR.

De fontibus.

I. De Herodoto.

De Assyriae historiae fontibus inquisituris inter omnes Graeciae rerum scriptores primus Herodotus adeundus est, quamquam iam ante eum plerosque in scriptis illam sive tetigisse, sive pertractasse constat. Sed quum eorum propemodum omnia interiere, tum unum quod superest Hellanici fragmentum nostro proposito parum adminiculi praebet. Eum enim in opere, quod *Περσικά* inscriptum barbarorum historiam, si quidem Cephalioni apud Syncellum p. 315 ed. Dindorf. fides, a Nini inde temporibus complectebatur, de duobus tradidisse Sardanapalis Scholiastes ad Aristophanis Av. v. 1022 testis est. Sed ut ad Herodotum redeamus, quoniam quod de rebus Assyriorum ille sese confecturum esse opus l. I c. 106 et 184 pollicetur, quodque Aristoteles [1] etiam legisse videtur, ipsum intercidit, paucis illis, quae in historiarum libris subinde de iis referuntur, adtentissime animus advertatur necesse est. Quae ut breviter complectar, quum per 520 annos Assyriorum iis, qui Ninum urbem incoluerint [2], omnes superioris Asiae gentes subditae fuissent, primos ille refert l. I c. 95 defe-

---

1) H. Anim. ed. Bekker Θ. 601, b, 1 *ἀλλ' Ἡρόδοτος* (nam hoc duce cod. D[a] pro *Ἡσίοδος* reponendum esse videtur) *ἠγνόει τοῦτο, πεποίηκε γὰρ τὸν τῆς μαντείας πρόεδρον ἀετὸν ἐν τῇ διηγήσει τῇ περὶ τὴν πολιορκίαν τὴν Νίνου πίνοντα.*

2) Namque eodem Assyriorum nomine Babylonios quoque comprehendit Herodotus. cf. I, 178, III, 155. Ceterum ea semper sententia illo nomine utar, quae apud nos pervulgata est.

cisse Medos eosque aliquanto post ceteras nationes esse sequutas. Atque illos quidem postquam aliquamdiu suis legibus usi regem sibi elegissent Deiocem, regnante eius filio Phraorte (I, 102) ceteris Asiae gentibus perdomitis denique Assyrios quoque adortos ab his fusos fugatosque esse. Sed paulo post (I, 103) a Cyaxare patris cladem ulturo Ninum iterum esse petitam, Scytharum autem adventu expugnationem prohibitam. Qui quum exinde tota fere Asia potiti 28 demum annis post a Cyaxare pulsi essent, ab eo Ninum captam totamque Assyriam Babylonia excepta subactam esse (I, 106). Praeter haec Herodotus de Assyriis memoratu dignum nihil tradidit, nisi quod l. II c. 141 Sanacharibi qui contra Aegyptum expeditionem susceperit infaustam et Sardanapali l. II c. 150 Ninives regis [1] divitiis abundantissimi mentionem facit. Iam ut illo duce tempora constituantur, a Medicorum regum regnis proficiscendum est. Itaque ab a. 559 quo illorum imperium a Cyro deletum esse constat profectis quia l. I c. 130 et 106 collatis Cyaxaris regnum a. 634—594 adsignandum est, post a. 607 (634—28 = 606) Herodoto teste Assyrios Medis succubuisse liquet. Regni autem exordii aetatem definituris id parum opportune evenit, quod quum Deiocem a. 709—656 regnasse ex l. I c. 102 efficiatur [2], quot annos inter eius accessum Medorumque defectionem computaverit Herodotus non invenitur plane traditum. Itaque praeeunte Niebuhrio [3] ad ea quae de Lydorum retulit primordiis recurrendum est. Nam duo omnino genera primum quidem per a. 505 Heraclidas, deinde per a. 170 Mermnadas Lydis usque ad imperii finem (a. 546) praefuisse,

---

1) Id propter Moversum moneo (Phonicier I, 470) verba: *τὰ γὰρ Σαρδαναπάλλου τοῦ Νίνου βασιλῆος χρήματα ἐόντα μεγάλα* falso ita interpretatum, ut regem Nini filium dici opinatus sit.

2) Tota Medorum regum series haec est: Deioces 709—656 (c. 102)
Phraortes 656—634
Cyaxares 634—594 (c. 106)
Astyages 594—559 (c. 130)

3) Kl. Schriften I p. 195 sq.

Agronis vero regis omnium primi patrem fuisse Ninum Beli filium autor est (I, 7). Qui quum a Nino, quem in Hellanici Ctesiaeque memoria primum inter Assyriorum reges locum obtinere scimus, discernendus non sit, quin eundem ex Herodoti quoque sententia occupet vix dubitari potest. Quodsi igitur illius aetas constituatur, de primordiorum Assyriorum tempore non iam ambigetur. Atqui ex iis quae protuli primum annum Agronis anno incidere 1221 (546 + 170 + 505 = 1221) intelligitur, quot autem annos Nini regno tribuerit Herodotus dubium esse videtur. Atque Niebuhrius quidem certiore fundamento sese destitui ratus tot ei annos, quot illo teste unum saeculum (II, 142) explent, assignavit. Sed ne incerta certis praeferantur, probabilissimum esse reputes Herodotum ut in illis, ita in definiendo regni spatio istam quam modo adtigimus de Nino traditionem prorsus sequutum, Nino regnum tribuisse annorum 52 quot a Ctesia notatos fuisse ex Cephalionis, Iustini, Eusebii, Syncelli, barbarorum denique excerptorum consensu constat. Quo fit ut ex Herodoti calculis Assyrios superioris Asiae imperio potitos fuisse a. 1273 (1221 + 52 = 1273), Medos iugum exuisse a. 753 (1273—520 = 753) sine regibus denique a. 44 (753—709 = 44) commoratos esse contendi queat. Quae si ita statuimus Hupfeldi refragamur sententiae, qui in exercitationum Herodotearum speciminis II p. 56 sq. ex ipsius Herodoti testimonio 6 annos libera republica Medos usos fuisse sibi visus est eruisse. Verba enim quibus nititur vexatissima haec sunt: *Μῆδοι δὲ ὑπέκυψαν Πέρσῃσι διὰ τὴν τούτου πικρότητα, ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν δυῶν δέοντα, πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον* [1]). Atque ille quidem quod praeiverat Conringius ad annos 28 quot Scytharum in Asia dominationem durasse Herodotus I, 106 et IV, 1 tradit, annis 128 a d d i t i s quum summa a. 156 efficiatur, ea t o t u m a Medorum inde defectione

1) I, 130.

usque ad imperii finem spatium comprehendi contendit. De qua opinione quo rectius possit iudicari atque ad veram eius sententiae et explicandae et emendandae rationem via muniatur, tria potissimum momenta distinguenda sunt, in quorum singulorum disquisitione disputatio nostra versabitur. Iam primum enim ut de numeris quaestio disceptari possit, quod spatium verbis *ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης* Herodotus complecti voluerit, eruendum est. De qua re ita dissentitur, ut alii verba premenda non esse, sed sive uti Hupfeldus de toto tempore, quo sui iuris Medi erant, sive uti Niebuhrius [1]) de eo spatio quo civitatem reges moderabantur intelligenda esse, alii quorum primus Valckenarius [2]) de superioris tantum Asiae dominatione, cuius autor Phraortes fuerit, cogitandum esse iudicent. Atque ex illorum sententia verba illa ne ullam quidem neque veritatem, neque vim haberent, sed nihil aliud nisi *τῆς Μηδίης ἄρξαντες* significarent. Quod dum fieri potuisse docear, non credam. Verum ne quid contra Herodoti statuamus sententiam a firmis fundamentis proficiscendum est. Ergo quicunque l. I c. 101 verba: *Δηϊόκης μέν νυν τὸ Μηδικὸν ἔθνος συνέστρεψε μοῦνον καὶ τούτου ἦρξε* pensitaverit, ab huius testimonii autore iam Deioce rege superioris Asiae imperium Medis adscribi potuisse prorsus negabit. Deinde utcunque voces l. I c. 130 *πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον* intelliguntur, Scytharum in Asia dominationi illius spatii initium ex Herodoti sententia antecessisse apertum est. Quo fit, ut eo iudice sive Phraorte rege, sive eo tempore quod Cyaxaris regni initio et Scytharum incursioni interfuit, superioris Asiae domini esse Medi inceperint. Phraortem autem praeter Assyrios omnes sibi Asiae gentes subiecisse, tota vero Asia primum Cyaxarem potitum esse l. I c. 102 e. q. s. docent [3]). Quod proximum

---

1) l. c.

2) Wesseling ad Her. I, 130.

3) I, 102: *παραδεξάμενος δὲ* (sc. Phraortes) *οὐκ ἀπεχρᾶτο μού-*

quum Assyria demum subacta fieri potuisse consentaneum sit, Ninum autem post pulsos demum Scythas expugnatam esse constet (cf. Her. I, 106), Herodoto si Medorum de t o t a superiore Asia imperium verbis ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης complecti voluisset, Scytharum dominationem non eximendam fuisse manifestum est. Itaque quoniam paulo latius verborum illorum vis pateat necesse est, neque tamen tum Asiae domina esse dici potuit natio, quum n e u n a m quidem Asianam gentem in ditione haberet, cum necessitate sequitur a P h r a o r t e qui Asiani imperii autor fuit, illud spatium esse repetendum. Accedit, quod de t o t i u s superioris Asiae dominatu ne inest quidem in verbis quidquam, verum Herodotus quum Medos ab eo inde anno quo Assyria quoque a Cyaxare occupata est, totius demum superioris Asiae moderatores vocaverit, iam postquam Phraortes suam gentem Asiae reddidit potentissimam, Asiae dominam eam appellavit. De quo ne quis dubitet opportune ipsa eius verba l. IV, 1. occurrunt: οὗτοι γὰρ (sc. Medi) πρὶν ἢ Σκύθας ἀπικέσθαι ἦρχον τῆς Ἀσίης. Neque deest exemplum, quo ea ratione non semel loquutum eum fuisse probatur. L. I enim c. 130 Persas Medorum imperio everso iamiam Asiae atque paulo post Croeso quoque devicto totius Asiae imperatores fuisse legimus.

Spatii igitur terminis constitutis ut de annorum summa recte iudicari possit Valckenarii sententia breviter refutanda est, qui l. I c. 106 verbis: μετὰ δὲ ταῦτα Κυαξάρης μὲν βασιλεύσας τεσσεράκοντα ἔτεα σὺν τοῖσι Σκύθαι ἦρξαν τελευτᾷ, Cyaxarem 68 annos regnasse effici contendit. Nam quum ex ea opinione Herodotus ut totum Cyaxaris regni tem-

---

νων ἄρχειν τῶν Μήδων, ἀλλὰ στρατευσάμενος ἐπὶ τοὺς Πέρσας πρώτοισί τε τούτοισι ἐπεθήκατο, καὶ πρώτους Μήδων ὑπηκόους ἐποίησε. μετὰ δὲ ἔχων δύο ταῦτα ἔθνεα καὶ ἀμφότερα ἰσχυρὰ κατεστρέφετο τὴν Ἀσίην ἀπ' ἄλλου ἐπ' ἄλλο ἰὼν ἔθνος, ἐς ὃ στρατευσάμενος ἐπὶ τοὺς Ἀσσυρίους cet. I, 103: οὗτος (sc. Cyaxares) ὁ τοῖσι Λυδοῖσί ἐστι μαχεσάμενος — καὶ ὁ τὴν Ἅλυος ποταμοῦ ἄνω Ἀσίην πᾶσαν συστήσας ἑαυτῷ.

pus comprehenderetur ad annos 40 a. 28 quibus non ille sed Scythae dominati sint, disertis verbis addi voluisse putandus esset, Valckenarius magis suis calculis, quam simplici veraeque explicationi sententiae, qua Scytharum imperii annos 28 annis 40 includi significatur, prospexit. Adde quod neque Graecos ita verba intellexisse testis est Diodorus qui Deiocem Ol. 17, 2 regem electum esse Herodotum autorem affert [1]).

Itaque his constitutis ad eam quaestionem transeundum est, quae in investiganda verborum πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον sententia continetur. Valckenarius enim, quem unus Graffius [2]) sequutus est, annis 128 et Medorum 100 et Scytharum 28 annorum imperium comprehendi, ita ut, si illius tantum spatium exputare velis, anni 28 detrahendi sint, contendit; ceteri omnes, inter quos praeter Conringium Niebuhrium et Hupfeldum nomino, ita ab annis 128 annos 28 excludi, ut incluso Scytharum dominationis tempore per annos 156 (128 + 28 = 156)' Medi superioris Asiae domini fuisse dicantur arbitrati sunt. Iam si de argumentis quaeris, quibus utraque pars nitatur, ea paene nulla esse reperies. Etenim neque quae similia vocabulorum πλὴν ὅσον, χωρὶς ἢ ὁκόσαι, πλὴν ἤ, χωρὶς ἢ ὅτε, πλὴν ἢ ὅσον exempla affert Valckenarius, quum totidem quae contrarium probent facile enumerari possint, eam hoc loco vocibus πάρεξ ἢ ὅσον vim inesse cum necessitate efficiunt, neque Hupfeldi quaestionibus annon si illud vocabula valerent, potius ἐπ' ἔτεα ἑκατὸν πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον vel ἄρξαντες ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν δυῶν δέοντα, ἐν τοῖσι οἱ Σκύθαι ἦρχον dicendum fuisset, quidquam proficimus. Itaque sive unius cuiusque arbitrio rei disceptatio linquenda sive certa quaedam lex reperienda est, qua iudicium regatur. Atque quod postremo loco posui tentaturis ab eo quod est certissimum proficiscendum est. Etenim

1) II, 32. 5 Nam de Deioce cogitasse Diodorum quamvis nominaverit Cyaxarem vix est quod moneatur.

2) Geschichte des Orients. Mainz 1829 p. 191 sq.

ubicunque vox πάρεξ, id quod apud Herodotum fere semper fieri videmus, vocabuli χωρίς eximendi vim habet, sive est adverbium, sive praepositio eam exclusionem duplici ratione effici posse consentaneum est. Nam quae vocula πάρεξ secluduntur ita sententiam limitant, ut aut veluti in his (l. IV, 46): ὁ δὲ πόντος ὁ Εὔξεινος, ἐπ' ὃν ἐστρατεύετο Δαρεῖος, χωρέων πασέων παρέχεται ἔξω τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεα ἀμαθέστατα· οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ Πόντου οὐδὲν ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίης πέρι, οὔτε ἄνδρα λόγιον οἴδαμεν γενόμενον πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος καὶ Ἀναχάρσιος, exempta parte totum imminuatur; aut quod fieri apparet in his (l. VIII, 2): ἀριθμὸς δὲ τῶν συλλεχθεισέων νεῶν ἐπ' Ἀρτεμίσιον ἦν, πάρεξ τῶν πεντηκοντέρων μία καὶ ἑβδομήκοντα καὶ διηκόσιαι, ut hac imagine utar segregatae parti pars adiiciatur et utriusque additione totum efficiatur. Quae si cum bifaria verborum de quibus quaeritur explicatione contuleris, illa excludendi ratione Valckenarium, altera ceteros sententiam terminari videbis statuisse. Ratione igitur reperta qua verbis modo haec, modo illa vis subsit, res ipsa poterit disceptari. Verum ne multa totum parte, quae verbo πάρεξ secluditur minui tum videtur, si id quod affirmatur de parte ei quod affirmatur de toto contrarium est alterumque ab altero negatur. Eo enim pacto propter id quod seclusae particulae cum toto proprium non esse praedicatur, illa huic adnumerari eoque comprehendi desinit, atque ea parte totum privatur. Quod perlucide ex primi quod supra attuli exempli interpretatione apparebit, cuius sententia haec est; ne ullam quidem nationem earum quae sunt intra pontum, sapientiae causa comparare possumus, neque virum eruditum fuisse novimus praeter Scytharum gentem et Anacharsin (quos comparare possumus et quem eruditum fuisse novimus) [1]. Sin vero idem quod de segregata contenditur sententiae parte, alteri quoque parti vel tribuitur vel tribui potest, verbo πάρεξ notio notioni additur partibusque alligatis totius summa efficitur

1) Exempla addere poteris sexcenta, equidem III, 67 conferri iubeo

Exemplum planissimum in verbis hisce inest (l.I, 14): πάρεξ δὲ ἀργύρου χρυσὸν ἄπλετον ἀνέθηκε: ingentem consecravit auri copiam praeter argentum (quod consecravit).

His ita constitutis verba ἄρξαντες τ. ἄ. Ἅλ. π. Ἀσ. ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν δυῶν δέοντα πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον ita explicanda sunt, ut quum id quod de a. 128 spatio affirmatur tribui non possit excluso a. 28 tempori, sed Medi superioris Asiae dominati esse dicantur per a. 128 praeter eos annos, quibus Scythae imperium habuerint, Medi igitur non obtinuerint, manifestum sit, si solos Medicae dominationis annos comprehendere volueris, ab a. 128 annos 28 esse detrahendos. Itaque omnium illorum corruunt coniecturae et explicationes qui contrariam viam ingressi sunt. Mutationibus tamen ne nos quidem poterimus egere. Etenim quia additorum annorum Phraortis 22, qui quod primo regni anno omnes Asiae gentes perdomuisse eum probabile non est, ne omnes quidem in censum veniunt, Cyaxaris 40 et Astyagis 35 summa a. 97 efficitur, huic a. 128 haud apte respondent. In numerorum autem restitutione primum quidem eo nitimur, quod uti iam ex pronominis ἐπί usu colligitur, ab Herodoti sententia eo loco minuta spatii illius definitio aliena est. Deinde quae iam hac ex parte de 128 a. numero dubitatio oboritur ea re augetur fortasse, quod quum δυῶν δέοντα verba fere semper numeris ad quos pertinent praeponantur, hic postposita sunt [1]. Denique facillime vel ex l. IV c. 1 vel ex l. I c. 106 ad v. πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον a lectore quodam diligenti voces τριήκοντα δυῶν δέοντα in margine appingi poterant; quibus postea Herodoti verbis adnexis quae nunc pervulgantur orta sunt. Ea igitur si interpolatori reddideris et ita: ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης ἐπ' ἔτεα ἑκατὸν πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον scripseris, toti a Phraortis inde aetate usque ad imperii finem spatio centum adsignantur

---

1) cf. Her. I, 94, IV, 1, 90. Matthiae Gr. Gr. p. 167 §. 141 Not. 1.

anni, qui quod ab annorum 95 summa quae, si id quod improbabile non est anno Phraortis tertio Asiae imperium Medi sibi compararunt, efficitur, quinque annis recedunt, nemo mirabitur, qui rotundum numerum eo loco requiri sibi persuaserit [1]. Sed etiamsi ita verba refingenda non essent, ex iis tamen quae supra disputavimus ut ceterorum ita Hupfeldi sententia per 6 tantum annos Medos sine regibus fuisse defendi non posset. Neque firmius esse alterum quo nititur fundamentum dico Herodoti cum Iosepho consensum, infra patefiet. Itaque ut ad ea a quibus exorsi sumus redeamus si anno 1273 Assyrios Asia potitos esse, annis 520 post Medos defecisse, post annum denique 607 Ninivem ab iis expugnatam esse statuimus, ab Herodoti sententia non recedimus. Ceterum duplicem memoriam ex duplici fonte desumptam eum coniunxisse iam ex hisce apparet. Nam de Nino apud Lydos audiverit, contra quae de 520 a. imperio referuntur Babyloniorum deberi annalibus ex miro Berosi consensu infra demonstratum ibimus. Herodoti calculos esse sequutus cum confidentia Appianus tantum dici potest, qui in Romanae historiae praefatione c. 9 haec exhibet: *Ἀσσυρίων τε αὖ καὶ Μήδων καὶ Περ-*

1) Ex tota hac disputatione intelligitur quo iure Gumpachius (die Zeitrechnung der Babylonier u. Assyrier, Heidelberg 1852. p. 141) nodum ita solvat, ut Deiocis a. 53 regnum annis 20 minuat et pro signo $\overline{ΝΓ}$ $\overline{ΛΓ}$ reponat. Nam quum consummatis regnis a. 35, 22, 40 et 33 annorum 130 summa efficiatur verbis *ἄρξαντες τ. ἄ. Ἅλ. ποτ. Ἀσ. ἐπ' ἔτεα* 128 *πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον* ab annis A s i a n i imperii 128 duorum annorum Scythicae in solos M è d o s dominationis exemptionem significari (130—128 = 2) sibi persuasit non magis v. *τῆς ἄνω Ἅλυος. ποταμοῦ Ἀσίης* quam v. *πάρεξ ἢ ὅσον* vim persentiscens. Neque eo fulcitur illa ratio quod ex ea Deiocis accessus anno XIV. incidat Hezekiae (a. 690), quo Medos ab Assyriis defecisse ex Iosepho A. I. X, 2, 2 constet. Nam Herodotus quidem defectionem iam antea evenisse docet (I, 95), Iosephus autem eo tempore eam factam esse non docet (vide infra).

σῶν, τριῶν τῶνδε μεγίστων ἡγεμονιῶν, εἰς Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου συντιθεμένων, οὐδ' ἂν ὁ χρόνος ἀφίκοιτο τῶν ἐνακοσίων ἐτῶν ὅσα ἐστὶ Ῥωμαίοις εἰς τὸν παρόντα χρόνον. Nam quum per annos circiter 230 ut rotundis numeris utar Persae, per a. 150 Medorum reges principatum tenuerint, Assyriorum imperio, ut 900 a. summa eruatur, a. relinquuntur 520.

II. De Ctesia.

Alterum Assyriae historiae fontem Ctesiae operis suppeditant reliquiae, quod *Περσικά* inscriptum a Nino rege usque ad Ol. 95, 2 res Assyriorum, Medorum, Persarum ita recensebat, ut quae ille per annos 17 apud Artaxerxem Mnemonem commoratus de iis vel viderat, vel percunctatione acceperat, vel ex Persicis annalibus hauserat perscripta essent. Quare quum subsidiorum, quibus erat instructus, praestantia atque copia logographos et Herodotum videretur superare, nec eorum quisquam tam ubere res Assyrias pertractasset, nec post eum nisi Beroso, qui tamen subinde tantum earum mentionem iniecit, scriptorum cuiquam novi fontes paterent, quid mirum quod tota eorum turba, qui post eum illas res exposuere, ex illo pendet? Omnium autem proxime a Ctesiae vestigiis Diodorus II, 2 sq. videtur abesse, cuius narrationem semel tantum ex Polyhistore[1]) supplemento petito, paucis complectemur. Itaque autore Ctesia principio rerum quum indigena in Asia regna intra suam cuique patriam finirentur, primus Ninus Assyriorum dominationem ad summum fastigium evexit. Qui quum praeter Indos Bactrianosque omnes intra Tanain Nilumque Asiae gentes annorum 17 spatio sibi subdidisset, urbem ad Euphratem condidit, quam ex se Ninum appellavit. Deinde Bactra quoque Semiramidis praesertim virtute atque calliditate expugnata illam, quae Der-

---

1) cf. Agathiam II, p. 25 ed. Niebuhr. Syncell. p. 359 ed. Dindorf.

cetus, deae Syriacae filia Ascalone oriunda, a columbis pastoribusque nutrita et educata erat, uxorem duxit. Ea, quum paulo post maritus relicto filio impubere Ninya obiisset, in regnum successit. Atque primum quidem Babylonem condidit omnesque imperii provincias ubivis monumentis operibusque multifariis relictis peragravit, denique post infelicem contra Stabrobatem Indorum regem expeditionem, confestim ex hominum conspectu sublata, ut fama ferebat ad deos evolavit. Post Semiramidem neque Ninyas, neque qui eum eiusdem familiae reges usque ad Belochum quem Balatora, regiorum hortorum praefectus imperio privavit, sequuti sunt, neque alterius domus principes usque ad trigesimum eundemque ultimum Sardanapalum memoratu digni quidquam gesserunt, nisi quod omnes ingenti mollitie insignes fuere atque Teutamus rex vigesimus alter, quum plus mille annis Assyrii Asiae imperium obtinuissent, Troianis contra Graecos exercitum auxilio misit duce Memnone. Sub effeminatissimo denique omnium Sardanapalo Arbaces Medis praefectus et Belesys imperator Babyloniorum defectione parata coniunctis viribus Assyriam aggressi Ninum tertio obsidionis anno expugnarunt. Quo facto iste exstructa incensaque pyra cum divitiis suis sese in incendium misit, atque Assyriorum imperium postquam mille trecentos sex [1]) annos steterat, ad Medos transiit.

Ctesiae calculos ita hucusque fere omnes adumbraverunt, ut ab anno profecti 559 quo Medorum imperium eversum esse plurimi statuunt, additis annis Medorum principatus 317 quot ex Cnidio unius tantum Astyagis regni spatio ex Herodoto suppleto eruere licet, annum primum Arbacis anno 876 atque primum Nini a. 2182 (876 + 1306 = 2182)

---

1) cf. Sync. p. 677 ed. Bonn. et Agathiam II, 25 p. 120 ed. Niebuhr et August. Civ. D. 18, 21 quamquam is uno anno recedit a vero. Nam quod habet Diodorus II, 22 ad v. *πλείω τῶν χιλίων καὶ τριακοσίων* additamentum *ἔτι δ' ἑξήκοντα* non potest non glossema esse.

assignarent [1]). Quod quam falsum sit ex iis annorum numeris intelligitur, quos Persicis regnis tribuit Ctesias. Eo enim teste quum Cyrus annos 30, Cambyses a. 18, Darius a. 31, Xerxes a. 21, Artaxerxes I a. 42 imperaverit, ii anni consummati summam annorum quos exhibet Herodotus cum Ptolemaei canone consentiens 7 annis excedit; adeo ut si Cyri annus primus ex eius rationibus annus esset 559, ultimus Artaxerxis a. incideret 417 vel septimo anno post quam e certissimis Chaldaeorum computationibus constat. Verum enim vero quum Persicorum regum anni praeter unius annos Darii II, Cnidio fere aequalis corrigi nequeant [2]), longe probabilius est Ctesiam in definiendo anno primo Cyri quam in anno postremo Artaxerxis errasse, quippe cuius aetas ab illius aetate nimis prope abfuerit. A certiore igitur anno qui est a. 424 proficiscentibus primus a. Cyri anno incidit 565, prostremus Astyagis a. 566, Arbacis primus a. 882 atque postremus Sardanapali a. 883, Nini denique a. pr. a. 2188. Cuius computi veritas duobus praeterea confirmari potest argumentis. Primum plus mille annis ante aeram Troianam imperium conditum esse accepimus [3]) ita ut nostra quidem ratio congruat, qua inter a. Nini pr. et a. 1183 anni 1005 [4]) computantur, altera autem discrepet, quae quum anno 2182 imperii initia assignet, quod interest spatium ne mille quidem annorum numerum attingit. Sed accedit alterum, quod si anno 883 imperii finem incidisse statuis, quare id momentum cum Lycurgi aetate, quam ab Apollodoro et Eratosthene [5]) eidem anno adscriptam esse scimus, a plurimis Ctesia ut videtur autore compositum sit intelligitur [6]). Iam quum duo illa Assyriae hi-

1) cf. Hupfeld Ex. Her. I, p. 3. Clinton F. H. I, p. 263 app.
2) cf. Ctesiae fragm. ed. C. Mueller p. 65.
3) cf. Diod. II, 22, 30.
4) Atque re vera 1005 a. Ctesiam exputasse infra probatum ibimus.
5) cf. Hermann. Gr. Staats-Alterth. ed. II. p. 60 Not. 9.
6) Plane id et Euseb. int. Auch. I, 100 et Vell. Paterc. I, 6, 1 enunciant

storiae momenta id quod primus C. Muellerus observavit [1]) cum duabus aeris apud Graecos fere celeberrimis connecterentur, eas autem chronographi sua quisque ratione definirent atque postea studium omnes calculos ad biblicorum temporum amussim dirigendi accederet, his omnibus plurimae nnmerorum discrepantiae, quae Ctesiae iisque qui vestigiis eius institere intercedunt, ortae sunt. Hinc enim explicandum est, quod eidem anno 843 (vel 840) quo ex quorundam sententia Lycurgum leges tulisse ex Velleio Paterculo (l. c.) constat, praeter Abydenum [2]) ac fortasse Aemilium quoque Suram [3]) et Velleius et Castor [4]) Ninives adscripserunt exstinctionem, quamquam imperium ipsum Castor annorum 1280, Velleius annorum tantum 1070 fuisse statuit. Qui numeri utrum ex cyclis, quod probare studet C. Muellerus [5]), compositi sint necne, in dubio linquimus, de Syncello vix fluctuare potest iudicium. Qui quum a. 1460 spatium imperio tribuerit et pleraque nomina Aegyptia seriei immiscuerit scriptorem, qui in expendendis temporibus Assyriis spatium caniculare expressit, sequutus esse videtur. Nec qua re permotus Ctesiae numeros quos a ceteris imminutos esse videmus, unus adauctos exhibeat, latet. Nam quum ex christianorum chronographorum more annum XLIII. Nini primum esse Abrahami eumque anno mundi 3313 incidere statueret, iam inter eum postremumque a. Sardanapali quem in anno poni 827 (4676 a. mundi) cui Callimachus [6]) aeram Lycurgi assignavit, repererat, annorum 1363 spatium efficiebatur. Quibus calculis quam apte illud commentum conveniat, quo ut annorum 1460

1) Fragm. chronol. ed. C. Mueller. Herodoti Ctesiaeque fragm. editioni adnexa p. 133 et 159.

2) cf. Euseb. ed. Maii p. 36.

3) cf. C. Mueller l. s. c. Castoris rel. p. 162.

4) Castoris enim laterculum in excerptis barbaris, quorum exemplum in Eusebio Scaligeri habes, expressum esse videtur.

5) l. c. p. 160 sq.

6) cf. Mueller l. c. p. 134.

summa erueretur, ex iis quos Nini fuisse maiores Abydenus [1]) testis est quinque in media serie, primus Belus in principio ponebatur intelligitur. Non tantum quantum Georgius in Ctesianas rationes saeviisse videtur Eusebius, quamquam et is ut Nini annum XLIII. cum primo Abrahami et Sardanapali postremum cum a. 816 [2]) quo Lycurgum leges tulisse Thucydides autor esse videtur [3]) componeret, numeros mutare coactus erat. Denique ut ex Diodori manifestum est comparatione partim cum singulari fide Ctesiam exscripsit, partim ab eo quam maxime decessit Cephalion; nam idem qui Teutamo Sardanapalum successisse refert, in ceteris fere omnibus a Cnidio ne dissentire quidem videtur. Ceteros scriptores illum sequutos commemorare supersedemus, quia sive quod in Dinonem cadit [4]) propter reliquiarum paucitatem de eorum definitione temporum nihil colligi potest, sive ut Moses Chorenensis, qui fabulas Armenias cum Graecorum scriptorum memoria videtur coniunxisse [5]) nullam temporum rationem habuere. Id denique addidisse iuvabit, quod quae est in annorum numeris diversitas eadem etiam in numeris regum conspicitur, neque tamen quo consilio ducti praeter Mosem et Cephalionem pleraque nomina addiderint omnes obscurum est; nam quum singulis illi regibus nimis longa regnorum spatia tribui viderent, probabiliori rationi consulturi ex suo ludibrio reges inseruerunt. Ceterum ut hoc iam praeripiam, ex hisce omnibus satis apparet fundamento omnes eos niti nullo qui ullam turbatissimis hisce rivulis qui ex uno Ctesia omnes fluxere fidem tribuunt.

---

1) cf. Eus. ed. Maii. p. 36. Moses Choren. ed. Whiston I, 4.
2) vel 820 ut est in l. II.
3) Thucyd. I, 18.
4) cf. Fragm. histor. Graecor. ed. C. Mueller II. p. 89.
5) cf. Moses. Chor. p. 20 sq. c. 17 p. 49 et q. s.

III. De Beroso.

Iam a Graecis rerum scriptoribus ad orientales transeundum est, qui quum suae patriae historiam perscriberent, Assyriorum res gestas quoties illi immistas inveniebant, toties notabant. Atque primum quidem inter eos commemoramus Berosum Chaldaeum qui Alexandri magni aetate historias Babylonias ex priscis annalibus haustas et tribus libris digestas confecit. Exscripsere eum praeter ceteros Iuba Mauritanus in Assyriis suis historiis (cf. Fr. h. G. ed. Mueller III p. 472) quas Clemens Alexandrinus ob oculos habuit; deinde Apollodorus, quem Polyhistor sequutus esse videtur atque Abydenus. Quorum postremus ut tempore a Beroso Polyhistore remotior, ita in plerisque rebus illo longius ab eo discessisse videtur. Neque tamen ita praestat Polyhistoris memoria, ut illius testimoniis prorsus carere possimus; immo nonnunquam alter ex altero supplendus est. Ex his fragmenta nobis servarunt Eusebius, Syncellus et ut videtur — nam de eius Berosianorum fonte non satis constat — Iosephus. Quibus testibus quum Berosus primo libro Chaldaeorum de mundi creatione fabulas tradidisset, in altero tertioque historiam ipsam persequutus, primordio rerum decem reges Chaldaeos per annos 432,000 Babyloni imperasse refert. Post magnam deinde omnium terrarum inundationem, quae sub eorum ultimo Xisuthro evenerit, reges regnasse 86 a. 34,080 [1]. Post eos Babylonem captam esse a Medis, quorum tyranni octo habuerint imperium a. 224 siquidem repudiato Syncelli testimonio (p. 147 sq. ed. Bonn.), qui ut suis calculis omnia adaptarentur a multifariis mutationibus nec in recensione huius dynastiae, ut tralaticio verbo utar, nec in ceteris sese abstinuit, Eusebium sequimur [2]. Medos 11 reges excepisse qui ex qua gente orti fuerint quotque imperi-

---

1) cf. Fr. h. Gr. II. p. 503 sq. Nam nec Eusebii p. 17 ed. Maii. a. 33091, nec Syncelli p. 147 ed. Bonn. a. 34090 numerum ab erroribus vacuum esse σῶσσον numerus quem Syncellus affert docet.

2) cf. Mueller l. c. p. 504.

taverint annos, quoniam corrupto numero margini adscripto lacuna non expletur, prorsus latet. Successisse reges Chaldaeos 49 qui a. 458 et 9 Arabes qui a. 245 Babyloni praefuerint. Post quos quum Semiramis in Assyria et 45 deinceps reges in Babylonia a. 526 regnaverint sequutum esse Phulum. Deinde Sanacharibum Assyriorum principem regno esse potitum atque post eum continua serie eius filium Asordanum, Sammughem, denique eius fratrem, cui ut infra apparebit Sardanapalo nomen fuerit, Chaldaeorum reges fuisse. Ab eo Nabopolassarem Babyloni praefectum defecisse Niniveque aliquanto post petita et expugnata ad Babylonios Assyriorum dominationem transtulisse, qui eam dum a Cyro subiicerentur (anno 538) obtinuerint.

Iam quantum damnum de tota Berosi temporum ratione iudicaturus ex numeri illius rasura capiat intelligitur. Quam quum complures reficere frustra conati sint, veram viam nuper Gutschmidius meus in Museo Rhenano Welckeri, Ritschelii, Bernaysii VIII, p. 252 sq. ingressus est. Qui quid repererit quoniam Assyriae quoque historiae ex ea re nonnihil redundat emolumenti, breviter enarrandum est. Etenim ex eo quod Callisthenem anno a. Chr. 331, quo Alexander Babylone potitus est, annorum 1903 parapegmata a Chaldaeis notata invenisse constat (cf. Simplicium ad Aristot. de Coelo, l. II p. 123 a. cf. Schol. in Ar. ed. Brandis p. 503a) iam Niebuhrius (l. c.) annum a. Chr. 2234 (1903 + 331 = 2234) in Babyloniorum historia memorabilem fuisse coniecit. Quo quum ille Medicae dynastiae initium significari arbitraretur, maiore cum probabilitate Gutschmidius dynastiam quartam fuisse Chaldaeam suspicatus eius annum primum anno incidisse 2234 statuit; quam quidem ea re mire confirmatam invenit sententiam, quod lacuna ista ex ea ratione a. 258 numero expleta totum a Babylone occupata (a. 538) usque ad annum primum primi post terrarum inundationem regis Chaldaei spatium annos complectitur 36,000, numerum ex 10 σάρων cyclo Babyloniis usitatissimo compositum. Nam fortuito id factum esse vix quisquam credet. Quae omnia quo

melius possint percipi, hanc tabulam a Gutschmidio confectam (l. s. p. 266) hoc loco a mutationibus prorsus me temperans subieci:

(I. Dyn.	regum	10 Chaldaeorum	a.	432,000	ab	a. Chr.	466,618)	
II.	„	„	86 Chaldaeorum	a.	34080	„	„	34618
III.	„	„	8 Medorum	a.	224	„	„	2458
IV.	„	„	11 [Chald.]	a.	[258]	„	„	2234
V.	„	„	49 Chald.	a.	458	„	„	1976
VI.	„	„	9 Arabum	a.	245	„	„	1518
VII.	„	„	45 [Assyriorum]	a.	526	„	„	1273
VIII.	„	„	[8 Assyriorum]	a.	122	„	„	747
IX.	„	„	6 Chald.	a.	87	„	„	625-538
			Summa annorum		36,000			

IV. De Vetere Testamento.

His ita disputatis quid notitiae Israelitarum memoria definiendis Assyriarum rerum temporibus suppeditet, adumbrandum est. Iam primum enim ubi quae ex Noae progenie gentes proventurae fuerint, ex prisca memoria (Genes. X) enumerantur, Babyloniorum coloniam fuisse Ninivem invenitur notatum (v. 9. 10). Sed quum Assyrii Israelitarum rebus octavo demum a. Chr. saeculo sese immiscuerint, ab eo inde tempore in eorum scriptis saepius commemorantur. Ac regum Assyriorum primus, cuius nomen occurrit, si quidem Ewaldi sententiam sequimur (Geschichte des Volkes Israel III, 1 p. 301), est Salman [1]), quem plurimi cum Salmanassare eundem esse censent (cf. De Wette Lehrbuch der h. kr. Einlt. I p. 322 ed. V). Sed si hoc ambigi potest, id a dubitatione immune est Menahemo rege Palaestinam invasisse Phulum, sed paulo post magna argenti vi accepta in Assyriam rediisse (II Reg. 15, 19); Peka regnante Tiglat Pilesa-

1) cf. Hosea 10, 14.

rem a Iudae principe Achaz auxilio arcessitum Samariam petiisse multosque secum in Assyriam captivos abduxisse (II Reg. 15, 29. 16, 7); Hoseam Israelitarum regem a Salmanassare victum esse imperiumque eversum (l. s. 17, 3—7. 24); anno denique post Hezekiae accessum XIV. Sanacharibum contra Aegyptum profectum Hierosolyma quoque tentasse, sed et pesti et adveniente Tirhacae exercitu ut rediret coactum, haud ita multo post a filiorum duobus Adramelecho et Sarezare trucidatum regnum tertio Assarhaddoni reliquisse (l. s. c. 18 et 19). Sed praeterea nihil quod nostro proposito inserviat traditum invenitur, nisi quod Iesaias (c. 20) Sargonis mentionem facit, qui inter Sanacharibum et Salmanassarem Assyriis imperasse et Aegypto Phoeniciaeque bellum intulisse videtur, deinde Manassem a rege Assyriorum Babylonem esse deductum II. liber Chronicorum (33, 11), denique Tobiae liber ab Ahasvero et Nebucadnezare eversum esse regnum testatur.

Restat, ut anni Hezekiae XIV. definitio, a qua ultimae Assyriae historiae partis temporum ratio tota pendet, accurate constituatur. Atque ut a certo quodam momento proficiscamur, ab a. XIV. Hezekiae usque ad a. a. Chr. 586, Nebucadnezaris XIX., quo Hierosolyma expugnata sunt (II Reg. 25, 8), in V. T. haec regna notantur:

Hezekia r.	a. 15	
Manasse	a. 55	
Ammon	a. 2	
Iosia	a. 31	
Ioahas	—	3 m.
Ioiakim	a. 11	
Ioiachin	—	3 m.
Zedekia	a. 11	
Summa	a. 125.	6 m.

Iam quum Zedekiae annum XI. anno Nebucadnezaris XIX. (586 a. Chr.) incidisse constet (cf. II Reg. 25, 2. Ier. 52, 5) [1], atque quod de illo cum confidentia potest contendi eum completum non fuisse, idem in unum quoque ex ceterorum regno-

1) cf. Loebell Weltgesch. I p. 563 sq.

rum annis cadere probabile sit, annum Hezekiae XIV. fuisse a. 711, vel si tamen sex istos menses in censum vocas medio anno 712 initium cepisse cogere licet. Quod utcunque se habet, id satis certum est nihil prorsus obstare, si tertio regni anno Sanacharibum in Palaestinam bellum intulisse verum est, neque V. T. numeri depravati sunt, quominus illius regis primus annus anno a. Chr. 713 adsignetur, id quod ab Ewaldo in conspectu temporum libri de Israelitarum historia parti III, 1 annexo factum esse video. Quod ad definiendam ceterorum regnorum aetatem pertinet, ad ea, quae infra disputabo, delego.

His denique omnibus canonis Ptolemaei eam partem subiunxi, cuius calculis ducibus omnium certissimis tota ab a. inde 747 temporum ratio munienda est.

Βασιλέων Ἀσσυρίων καὶ Μήδων [1])	*ἔτη*	A. a. Chr.
Ναβονασσάρου	14	747
Ναδίου	2	733
Χινζίρου καὶ Πώρου	5	731
Ἰλουλαίου	5	726
Μαρδοκεμπάλου [2])	12	721
Ἀρκεάνου	5	709
Ἀβασιλεύτου πρώτου	2	704
Βηλίβου	3	702
Ἀπαραναδίου	6	699
Ρηγεβήλου	1	693
Μεσ ησημορδάκου	4	692
Ἀβασιλεύτου δευτέρου	8	688
Ἀσαραδίνου	13	680
Σαοσδουχίνου	20	667
Κιννηλαδάνου	22	647
Ναβοπολασάρου	21	625
Ναβοκολασσάρου	43	604
Ἰλλοαρουδάμου	2	561
Νηριγασσολασσάρου	4	559
Ναβοναδίου	17	555—538.

1) Descripsimus canonem ex Bunsenii libro qui est inscriptus: Aegypten's Stelle in der Weltgeschichte, (III Urkundenbuch p. 113).

2) Ita cum Bunsenio codicis Voss. II. scriptura *Μαρδοκεμπάδου* emendanda esse videtur.

V. De scriptorum fide.

Assyriarum rerum fontibus, qui ex veterum scriptorum cognitione manant, expositis, quaenam inter eos ratio intercedat in conspectu ponatur, ut ita de uniuscuiusque fide quaestionis via patefacta, quomodo iis utendum sit intelligatur. Etenim ut quantae iis intersint discrepantiae complectar, Assyriorum imperium, quod Ctesia teste plus mille trecentis annis Asiae dominationem tenuit atque nono a. Chr. saeculo exstinctum est, secundum Herodotum ab anno inde 1273 per 520 tantum annos Asiae superiori, Beroso autore, ut id praecipiamus, usque ad a. 747 per a. 526 Babyloni praefuit, ex utriusque testimonio non ante septimi saeculi finem eversum est. Itaque quum contra unum Ctesiam Berosus atque Herodotus coniuncti faciant, hisce V. T. quoque autoritas, ex quo Assyrii octavi saeculi reges innotuere, imperii vero finis septimo saeculo adsignari videtur, accedit. Qua ex comparatione, praecipue si Chaldaeas Israeliticasque traditiones in eo quoque contra illum consentire reputaveris, quod non ab Assyriis Babylonem conditam, sed hanc tempore multo anteriorem esse Ninive referunt, quum Ctesiae fides iam mirum quantum infringatur, tum ex eius memoria ipsa non semel veris fabulas eum admiscuisse manifestum est. Etenim quum iam nomen Nini de fide dubitationem offerat, quod ex cognomine urbe tibi persuadeas conformatum esse [1]), tum prorsus fabulosa indoles matrimonio eius cum Semiramide inito inhaeret, quae ipsa, quum magna fabularum vis ex Astartes et natura et cultu desumpta in eam collata inveniatur, ab illa diversa non esse videtur [2]). Quod iudicium Iosephi de Beroso testimonio (c. Ap. I, 20): *Ταῦτα μὲν οὗτος* (sc. Berosus) *ἱστόρησε*. . . *ἐν τῇ τρίτῃ βίβλῳ τῶν Χαλδαϊκῶν, ἐν ῇ μέμφεται τοῖς Ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσιν ὡς μάτην οἰομέ-*

1) cf. Movers, Phoenicier I. p. 468 sq.
2) cf. Movers p. 631 sq.

νοις ὑπὸ Σεμιράμιδος τῆς Ἀσσυρίας κτισθῆναι τὴν Βαβυλῶνα καὶ τὰ θαυμάσια κατασκευασθῆναι περὶ αὐτὴν ὑπ' ἐκείνης ἔργα ψευδῶς γεγραφόσι (cf. Abydenum ap. Eus. I p. 77: „de Nino et Semiramide nulla ipsis (sc. Chaldaeis) cura est"), fulcitur. Idem denique in postremum omnium ca dit Sardanapalum, in cuius memoriam multas ex dei Sandonis cultu fabulas defluxisse negari nequit [1]). Verum etiam his omnibus demptis ne ea quidem, quae restant omnia a dubitatione immunia sunt. Probabilitati enim prorsus repugnat, quod regum triginta, qui a. 1306 regnaverint, tribus exceptis, ne unus quidem memorabile quidquam egisse dicitur (cf. Diodor. II, 22, 23). Neque minus id quod per tot saecula triginta tantum reges, ita ut filius patrem exceperit, regnasse docemur, naturae legibus adversatur. Itaque ut ceteris omissis eum tantum Ctesiae errorem quod Ninum urbem ad Euphratem sitam fuisse dicit addam, iam ex his apertum est in omnibus de rebus Assyriorum quaestionibus ut ex firmo quodam fundamento ex V. T. Berosi et Herodoti testimoniis, quorum autoritas a paucis addubitata ipsorum consensu munitur, proficiscendum esse, ne certa desint momenta, quibus Ctesiae memoriam metiamur, et ut ratione quomodo errores vel excusandi vel explicandi sint, quidque sive accipiendum, sive refellendum sit, disceptetur. Nam quemadmodum ne nimium, ita ne parum fidei Ctesiae tribuamus cavendum est propterea quod uberrimi fontes ei poterant patere, quin etiam ex Persicis eum hausisse annalibus (βασιλικαῖς διφθέραις) memoriae traditum est (Diod. II, 32, 13). Neque illum de Nino atque Sardanapalo fabulas primum in historiam induxisse, quod iam Hellanicus utrumque commemoravit manifestum est. Quid si Herodotus quoque, quamquam cetera omnia de Assyriorum imperio ex Babyloni-

---

3) cf. O. Mueller Sandon und Sardanapal in Mus. Rhen. III p. 22 sq. Movers p. 462 sq.

cis Medicisque fontibus hausit, Nini eiusque patris Beli, quos primos Assyriis imperasse apud Lydos acceperat, mentionem facit? De scriptorum fide si ita statuimus nonnihil adversatur, quod C. Muellerus (in fragm. chronolog. Herodoti et Ctesiae editioni Dindorfianae annexis p. 159 sq.) neque Herodoti, neque Ctesiae numeros fidem habere quam dicunt historicam, sed ex cyclo apud Graecos usitato annorum 63 lunarium esse compositos contendit. Nam de Herodoti quidem calculis sententia, etiamsi cetera argumenta satis firma essent, si cum Berosi memoria ex annalibus Babylonicis hausta illos prorsus consentire demonstratum erit, fore ut reiicienda sit cum confidentia poterit affirmari. De Ctesiae autem computo quamvis amplior dubitationi locus datus sit, tamen ne de eo quidem illum recte statuisse efficitur, si verum est, quod infra probaturi sumus, non omnino eum a recto abhorrere [1]).

---

1) Ratio, qua C. Muellerus (cf. p. 163) in Ctesiae calculis a. 63 cyclum latere nisus est probare, hac tabula illustretur:

Assyriorum regni initium a. a. Chr.	2191	}	1008 = 16 × 63
Teutami ann. postremus	1184		
Thinaei a. primus	1183	}	298 = 5 × 63 — 17
Sardanapali a. postremus	886		
			1306

In quibus quum sit 17 annorum deficientium offensio, eam 17 a. commemoratione tolli putat, quibus Ninus, antequam Asiam totam perdomuit, regnasse perhibetur. Ideo enim Ctesiam eos addidisse, ut haberet, quo eos annos transferret, quos cyclis posttroianis ob Lycurgi aeram detraxerit. Quod ut alicui persuadeat C. M., id mihi non persuadebit Ctesiam imperii finem a. 886 adsignasse. Sed artificiis etiam maioribus opus fuit ut numerum a. 520, quot annos Herodotus Assyrios imperasse testis est, ex cyclis compositum esse ostenderet, quippe qui, ut ipse M. confitetur (p. 164), in illos cyclos non quadret.

VI. De monumentis atque inscriptionibus.

His subsidiis fere instructi fuere, qui ante hos novem annos Assyriorum rebus inquirendis operam tribuere, sed anno 1843 effossis Ninives ruinis denuo his quaestionibus fax allata est. Quamquam quotquot et qualiacunque artis, morum et religionis testimonia ipsis monumentis suppeditantur, accuratae singularum rerum disquisitioni parum emolumenti ex iis manare videtur, dum quid innumeris signis imaginibusque fictis significetur latet. Quod quum legendis tantum cuneatis inscriptionibus efficiatur, in hac quidem arte vix eo progressi sunt, ut certi quidquam erutum esse queat contendi [1]. Huc accedit quod plurimis Assyriorum regum nominibus, ut legenda ea esse confirmatur, similitudo cum iis, quae sive ex Ctesia, sive ex Beroso et V. T. innotuere, nulla est, ita ut certa indicia, quibus nisi eorum aetatem definiamus, prorsus desint. Nam nuper demum Salmanassaris, Sanacharibi et Assarhaddonis annales sibi visus est repperisse et legisse Rowlinsonus. Sed priusquam inscriptionum explicationes attingamus, ubi et a quibus monumenta illa in lucem edita sint exponatur.

Initio enim a. 1843 quum Botta [2] Mossule publico mu-

---

1) De nominum quidem explicatione Rowlinsonus (Journal of the Asiatic society XII p. 423) ipse haec confessus est: „their definite phonetic rendering or pronounciation is a matter of exceeding difficulty, nay as J think of absolute impossibility; for strange, as it may appear, J am convinced, that the early Assyrians did not distinguish their proper names by the sound, but by the sense, and that it was thus allowable in alluding to a king by name, to employ synonyms to any extent whether those synonyms were terms indifferently employed to denote the same deity, or whether they were different words used to express the same idea.“ — Cum quibus conferas Ewaldi disputationem, quam infra afferam.

2) Lettres de M. Botta à M. J. Mohl sur ses découvertes à Khorsabad près de Niniveh.

nere functus, ubi ex veterum testimoniorum comparatione Ninivem olim sitam fuisse suspicatus [1]) tumulis in sinistra Tigris ripa dispersis coniecturam videbat confirmari, fodi iussisset, primum quidem collem, cui superstructus est pagus Ninouah exadversus Mossuli, perscrutari coepit, sed id quidem omni successu destitutus. Itaque paulo post in vicum sese contulit a Tigri quinque millibus ad septentriones versus dilatum, cui nomen Korsabad, ibique ruderibus remotis primam in lucem protulit regiam Assyriam. Haud multo post Francogallum Anglus quoque Layardus quum iam annis 1839, 1840 et 1842 per minorem Asiam reliquaeque Asiae partem proficiscens de disquirendis illis Mesopotamiae tumulis cogitasset, mire Bottae proventibus incitatus proposita anno demum 1845 exsequi coepit [2]). Atque primum quidem ubi iam quinque annis ante pyramidem, in Xenophontis Anabasi III, 4, 7 commemoratam, repererat, prope vicum Nimrud, a Mossule secundo flumine decem fere millibus amotum et in Tigris Lycique confluxus angulo situm, perscrutationibus institutis mox tria aedificia eruit. Quorum primum in ruderum monticuli ea regione conditum, quae in occasum brumalem meridiemque vergit [3]), maxima ex parte ex vetustiorum aedium materie exstructum esse apparuit. Quarum unam inter septentriones et occasum solstitialem sitam ut aliquanto post effoderet contigit. Quae si Layardus, quantum video non reprobatus a Rowlinsono quum ex aliis indiciis tum ex artis indole recte collegit, tam tertiam in medio ruinarum monticulo prolatam quam ceteras omnes hucusque in Assyria repertas antiquitate praecellit [4]). Quum plerosque

---

1) Nam Ninivem exadversum Mossuli fuisse sitam praesertim post Tuchii Comment. Geograph. I, (1 de loco ubi sita fuerit Ninus) nunc nemo iam negabit.

2) Layard Niniveh and its Remains, London 1849. 2 vol.

3) l. s. I p. 27, 34 sq. pl. II.

4) l. s. II p. 192 sq.

praeterea locos sine magno successu perscrutatus esset, omnium postremo ad vicum nomine Koyundschik, prope a quo Bottae conata frustrata esse diximus, quartam regiam ex ruderibus elicuit [1]. Sed haec hactenus. Iam quid ex inscriptionibus erutum sit hoc loco memoratu dignum duce Rowlinsono [2] breviter referatur. Atque ut ab aede ordiamur antiquissima, eam illo teste rex aedificavit „Sardanapalus" [3], cuius bellicosissimarum in finitimas gentes expeditionum inscriptiones testes sunt, in quibus etiam pater eius „Anaku-Mecrodach" (Ἀνακυνδαράξης) et avus „Adramelech" commemorantur. Eorum tres hucusque antecessores innotuerunt, alter alterum non continua serie, sed interiectis intervallis secuti; quorum tempore primus nomine usus est ex deae Dercetus nomine derivato, alter „Divanuka" eam urbem (Calah cf. Gen. X, 11) condidit, cuius ruinis nunc Nimrud pagus superstructus est; tertius denique „Anak-bar-beth-hira" ad Persicum usque sinum et mare nostrum praedicat sese excessisse. Sardanapali filius „Divanubara," cuius annorum 32 annales [4] in nigro obelisco reperto illo in medio aedificio

1) l. s. II p. 118 sq.

2) Novissimam Rowlinsoni expositionem secuti sumus, quae nuper in Actis Asiaticae Britannorum societatis (a. 1852 V. Iun.) „Outlines of Assyrian History, collected from the Cuneiform Inscriptions" inscripta edita est, permissam mihi insigni v. ill. Lasseni benignitate. In ea enim multa sive prorsus nova, sive emendatiora illis prodierunt, quae quum in Diurnis illius societatis (Journal of the R. Asiat. Society XII p. 402 sq.) uberius, tum breviter in Athenaeo (a. 1851 N. 1243) explicata fuerant.

3) Sardanapalum eum ab illo non diversum esse censet Rowlinsonus, qui Anakyndaraxis filius Tarsum et Anchialem memoratur condidisse (cf. Athen. XII p. 530 et Arrian. II, 5).

4) Totam illius stelae inscriptionem Rowlinsonus interpretatus est in Diurnis s. m. XII p. 402 sq. Ceterum eum regem, quem cum Delebora (a Macrobio Saturnal. l. I, XXIII memoratum) eundem esse arbitratur Rowl., falso a Grotefendo (Goett. Gel. Anzeig. St. 159. 1850, p. 136 sq.) cum Salmanassare eundem putari Ewal-

Nimruttensi inoibi inveniuntur, si re vera ab Israelitarum rege Iehu tributum exegit (cf. Rowl. l. s. p. XXIV sq.), ineunte saeculo nono regnum inceperit. Eum reges „Schamas Ader" et „Adramelech" II eumque sive nullo, sive uno rege interiecto „Phulus" secutus est. Successit deinde „Sargina" novae dynastiae princeps [1]) et Korsabadensis aedis conditor. A quo quum Rowlinsonus (l. s. p. XXVI cf. Athen l. s.) nec Tiglat Pilesarem nec Salmanassarem nec Sargonem diversum esse arbitretur, mirum quantum dissidet Hinksius, qui quamquam de nomine ipso idem sentit, tamen nec primo regni anno, quorum quindecim in annalibus ut videtur mutilatis recensentur, Sarginam Samariam petiisse ex cuneis colligi posse, et illius filium fuisse Salmanassarem eumque fratrem Sanacharibi contendit (cf. Athen. 1851 N. 1247). Sed quantus illorum virorum de hac quaestione dissensus, tantus de rege, qui vici Koyundschik aedem exstruxit consensus. Is enim a Sanacharibo diversus non est, si quidem recte legit Rowlinsonus primo eum regni anno Babyloniorum subiecisse regem Merodach-Baladanum, qui etiam patris Sarginae inimicus fuerit, anno tertio contra Sidonis principem Elulaeum ceterasque Phoeniciae urbes Syriamque expeditione facta exercituque Aegyptiorum qui Palaestinae rebellibus succurrerant victo, Hierosolyma petiisse et ab Hezekia tantum tributi, quantum ab illo Assyriis datum esse II. l. Reg. (c. 18, 14) testatur, exegisse. Tres praeterea reges Sanacharibum deinceps secuti in inscriptionibus occurrerunt, quorum primus „Assur-akh-as" (Assarhaddon) Rowlinsono toti prope Asiae bellum intulisse, alter „Assur-adon-pal" a. 634 in Ninives contra Scythas defensione vitam amisisse, tertius denique

dus G. G. Anz. St. 60. 61. 62. 1851. breviter eo probavit, quod illum annos 32 regnare non potuisse monuit. Qua re quum de tota illius sententia actum sit, eam plenius exponere supersedeo.

1) Id quum antea Rowl. (Journ. of the As. S. l. s.) Hinksio adversatus, addubitasset, nuper quum in Athenaeo (l. s.) tum in novissima dissertatione, supra memorata confidenter asseveravit.

idemque ultimus per 28 a. Scytharum iugo subiectus anno demum 606 a Medis et Babyloniis victus imperioque privatus esse videtur. Ceterum omnium eorum veritatem, quae brevi in conspectu posuimus, si ea fortasse excipis, quae propter Rowlinsoni et Hinksii consensum incertis certiora esse videntur, neque impugnare, neque affirmare possumus; id autem praecipue post ea, quae Ewaldus (l. s.) de primis Rowlinsoni enucleationis conaminibus disputavit, satis constare videtur, ita ab his omnibus proficisci nos non posse, ut ceteris ea testimoniis praeferamus. Itaque ut iam paucis totam nostram Assyriarum rerum disquirendarum viam significemus, Berosi, Herodoti et V. T. testimoniis ut firmo fundamento nisi Ctesianae memoriae pretium quidque ex ea nostro consilio proficiatur definiemus, iis autem, quae ex inscriptionibus eruta esse videntur quam poterimus cautissime tanquam aptis ad sententiarum sive confirmationem, sive refutationem adminiculis utemur, in ipsis denique rebus tractandis a certissimis ad minus certa progrediemur.

PARS ALTERA.

Assyriarum rerum tempora emendata.

Ut a fine exordiamur, quonam anno Assyriorum imperium interierit e coniunctis Herodoti Berosique testimoniis colligendum est. Etenim Nabopolassarem, quem inter a. 625 et 604 imperium habuisse ex canone Ptolemaei constat, ab Assyriorum rege Babylonem missum, rebellione facta Niniveque expugnata rerum esse potitum Polyhistor (ap. Sync. p. 396 ed. Dind.) et Abydenus (ap. Euseb. Arm. int. Aucher p. 54 v. in. p. 30) consentiunt. Quod Berosus igitur ante a. 604, idem Herodotus post a. 607 factum esse testis est[1]. Is enim Cyaxarem, quem a. 634 regnum incepisse vidimus, quum Scytharum catervis a priore Ninives obsidione desistere coactus esset, viginti octo annis post illis ex Asia pulsis urbem denuo operibus cinctam expugnasse refert (l. I, 103 et 106 cf. s. p. 2)[2].

---

1) cf. Loebell Weltgesch. I p. 558.

2) *καὶ οὕτω ἀνεσώσαντο τὴν ἀρχὴν Μῆδοι, καὶ ἐπεκράτεον τῶνπερ καὶ πρότερον, καὶ τήν τε Νῖνον εἷλον . . . καὶ τοὺς Ἀσσυρίους ὑποχειρίους ἐποιήσαντο* cet. Quo testimonio quum sat plane pulsis demum ex Asia Scythis qui eam 28 a. obtinuerant, Asiaeque imperio a Medis recuperato Ninivem esse deletam, nostra ratio Gumpachii opinione Mediae illos duos tantum annos imperasse, (cf. supra p. 9) nequaquam infringitur. Neque cetera argumenta, quibus a. 607 destructam esse Ninivem firmare ille studet, tam valida sunt, ut certae Herodoteae memoriae vim debilitare queant. Nam neque paulo post pugnam ad Halyn (a. 610) ad Ninives expugnationem Medos et Babylo-

Libera igitur inter annos 605 et 606 optione data, postremus veritati ideo propius accedere putandus est, quod, uti e Beroso certo Iosephi testimonio (Ant. Iud. X, 11) innotuit, iam ante pugnam ad Circesium, quam eodem tempore, quo Nabopolassar e vita decessit vel anno 605 vel ineunte 604 Nebucadnezar cum Necone commisit, filio ille *οὐ δυνάμενος ἔτι κακοπαθεῖν* exercitum tradidit. Ceterum quos singulos Berosus atque Herodotus, eosdem coniunctos libri Tobiae scriptor XIV, 15 regnum Assyriorum statuit evertisse, quamquam falso is pro patre filium infert Nebucadnezarem. Sed illi quoque Medorum Babyloniorumque fuisse societatem subobscure significant. Quod, quo iure contendatur quum Herodoti verbis l. I c. 106: *καὶ τοὺς Ἀσσυρίους ὑποχειρίους ἐποιήσαντο* (sc. Medi) *πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μοίρης*, tum Polyhistoris testimonio (ap. Eus. int. Aucher p. 44 cf. p. 54 et Sync. p. 396 ed. Dind.): Hic exercitum Astyagi [1]) Medo, familiae principi ac satrapae, auxilio misit, ut Amuhean Astyagis filiam Nabucodrossoro filio suo uxorem daret, manifestatur. Itaque quum Nabopolassarem et Cyaxarem a. 606 Ninivem delevisse imperiumque ita inter sese partitos fuisse, ut huic Assyria, illi Babylon contingeret (cf. Her. I, 178), cum confidentia affirmari queat, de ultimis Ninives regibus quaestio a multifaria difficultate immunis non est. Etenim qui

---

nios sese coniunxisse (p. 145), neque paulo post proelium Megiddanum eam esse eversam (cf. p. 147) certis testimoniis potest comprobari. Nam verba quidem Iosephi A. I. X, 5, 1: *Νεχαὼ ὁ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεὺς ἐγείρας στρατιὰν, ἐπὶ τὸν Εὐφράτην ἤλασε ποταμὸν, Μήδους πολεμήσων καὶ τοὺς Βαβυλωνίους οἳ τὴν Ἀσσυρίων κατέλυσαν ἀρχήν*, qui Graece scit non ita vertet: Nechao cet. um die Meder und Babylonier zu bekämpfen, welche im Begriffe waren das Assyrische Reich zu zerstören.

1) Qui a Beroso nominatur Astyages, a Cyaxare, sive nomina sunt eadem, quod suspicatus est Niebuhrius (l. s. p. 19), sive totam eius nominis dynastiam fuisse cum Maio statuis, diversus non est; quum quominus de ultimo Medorum rege cogitemus temporum ratione prohibeamur.

ab Abydeno ap. Eus. interp. Auch. p. 54 [1]) postremus Assyriorum rex Saracus vocatur, nomine ab eo diversus esse videtur, quem ante Nabopolassarem Babyloni, regno Assyriorum tum temporis subditae, imperasse memoriae tradidit Polyhistor (ap. Eus. p. 44). Is enim post commemoratum Sanacharibi filium Asordanum hos reges exhibet:

Sammugem a. 21
eius fratrem a. 21
Nabupalsarem a. 21 [2])

cum quibus Ptolemaei canonis reges Saosduchinus a. 20
Chyniladanus a. 22
Nabopolassar a. 21

propter magnum et nominum et numerorum consensum non possunt non iidem esse. Quapropter quum Sammugis fratri nomen Chyniladano fuisse sequatur, quantum id a Saraci no-

---

1) „Post quem Saraeus in Assyrios regnavit; et quum compertum habuisset multitudinem barbarorum maximam e mari exisse, ut impetum faceret, Busalossorum ducem confestim Babylonem misit. Ille autem consilio rebellionis inito Amuhean Astyagis Medi familiae principis filiam Nabuchodrossoro suo filio uxorem despondit. Ac deinde protinus discedens accelerat aggredi Ninum, id est, urbem Ninive. Cum autem de his omnibus certior est factus Saracus rex, concremavit regiam aulam Evoriti. Nabuchodrossorus vero accipiens regni imperium valido muro Babylonem cinxit."

Idem apud Syncellum legitur p. 396 ed. Bonn.: *Οὗτος* (sc. *Ναβοπαλάσαρος*) *στρατηγὸς ὑπὸ Σάρακος τοῦ Χαλδαίων βασιλέως σταλεὶς, κατὰ τοῦ αὐτοῦ Σάρακος εἰς Νῖνον ἐπιστρατεύει· οὗ τὴν ἔφοδον πτοηθεὶς ὁ Σάρακος ἑαυτὸν σὺν τοῖς βασιλείοις ἐνέπρησε, καὶ τὴν ἀρχὴν Χαλδαίων καὶ Βαβυλῶνος παρέλαβεν ὁ αὐτὸς Ναβοπαλάσαρος ὁ τοῦ Ναβουχοδονόσωρ πατήρ.* Quae non ex Polyhistore fluxisse, quod sibi persuasit Winerus (Bibl. Realw. I p. 103), sed ex Eusebio exscripta esse ex utriusque loci apparet comparatione.

2) Nam nonnisi errore 20 annos Nabupalsari tribui infra demonstrabitur.

mine discrepet non est quin videat. Qua re permotus Movversus Phoenicier I p. 462 adversatus Hupfeldo [1]) uti a Ptolemaeo ita a Polyhistore post Asordanum non Assyriorum utriusque imperii reges, sed regulos Babylonios illorum iugo subiectos enumerari contendit, ita ut Saracus Assyriae, Sammugis frater Babyloni imperitaverit. Cui sententiae duo potissimum obsunt argumenta. Iam primum enim antequam Nabopolassar a rege Assyriorum contra Scytharum [2]) impetum Babylonem mitteretur, imperio nullis regulis concesso illum ipsum ei quoque urbi praefuisse ex Abydeni verbis (ap. Eus. p. 54 v. s.) verisimile fit; neque nisi artificiis usi Beroso teste in Babylonis imperio illum Nabopolassaris fuisse antecessorem negare poterimus. Qua ex re quum Saracum non diversum esse a Sammugis fratre, quem in canone Ptolemaei Chyniladanum appellari vidimus, efficiatur, id ipsum altero quoque argumento, quod nominibus continetur, haud mediocriter confirmatur. Nam quum Eusebius primum quidem regum seriem ex Polyhistore ita exhibeat, ut Sammugem frater, fratrem Nabopolassar excepisse affirmetur, paulo post haec habet: „Post Sammugen vero Sardanapallus Chaldaeus regnavit a. 21. Hic exercitum Astyagi Medo [3]) . . . . filio sub uxorem daret; ac deinde regnavit Nabucodrossorus." Ab Eusebio autem errorem mutuatum esse Syncellum haec verba produnt (p. 396): *Τοῦτον* (sc. *Ναβοπαλάσαρον*, *τὸν πατέρα τοῦ Ναβουχοδονόσωρ*) *ὁ Πολυΐστωρ Ἀλέξανδρος Σαρδανάπαλλον καλεῖ πέμψαντα πρὸς Ἀστυάγην σατράπην Μηδίας καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Ἀμυΐτην λαβόντα νύμφην εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ναβουχοδονόσωρ. Οὗτος* cet. vid. supra. Nam ordinem lacuna quadam esse turbatum ambigi nequit, ad resti-

---

1) Exerc. Herodot. I p. 10 sq. II p. 47 sq.

2) Eos enim, „barbarorum multitudine" significari cum Niebuhrio statuendum esse videtur.

3) Vide supra p. 29.

tuendam autem seriei integritatem duplex via patet. Aut enim Sammugis fratris, aut Nabopolassaris nomen excidisse putandum est. Atque illud quidem Moversus ita probare studet, ut Polyhistorem ultimum Assyriorum apud Ctesiam regem cum Nabopolassare, tempore aequali, similibus utriusque nominis „sar — apal" et „pal — asar" sonis seductum, confudisse doceat (Phoen. I, 463). Quae quominus nobis persuadeat partim illud prohibet, quod quorum nominum partibus aliqua intercedit similitudo, ea tota nullam permutandi ansam offerunt, partim quod tantum abest, ut chronographi Nabopolassari Sardanapalum tempore parem habuerint, ut duo propemodum saecula utriusque aetati interfuisse tradant. Quibus accedit tertium quod ab ipso Beroso Sardanapalum commemoratum fuisse, obscura haec Abydeni verba: „ex qua (sc. Syria) Sardanapallus quoque exstitit" (p. 54 E. A. ed. Auch.) pro certo confirmant [1]). Alteram sententiam post Niebuhrium (l. s.) Hupfeldus suo iure amplexus, secutus Winerum, ita fere Eusebii verba refingi iubet: „Post Sammugen vero Sardanapallus regnavit a. 21, post hunc Nabopolassar Chaldaeus a. 20 [2]). Hic" cet. Nam quum Sardanapali nomen nec a Beroso, nec ab epitomatoribus Nabopolassari inditum fuisse possit, hunc ab illis omissum, Sardanapalum vero cum fratre Sammugis eundem esse colligere licet. Cum quibus quod utrique idem annorum numerus ab Eusebio assignatur, prorsus convenire vix est quod addamus. Iam ut ad id, quo tendimus via patefiat, esse inter nomina Saraci atque Sardanapali similitudinem negari nequit, immo diversis vocibus eandem subesse formam ostendi fortasse poterit. Quamquam quod artificium excogi-

1) Nam quominus Sardanapali nominis regem ideo ne exstitisse quidem Moverso credamus, quia idem ille sit deo Sandoni, id prohibet, quod deorum nomina Assyriorum regibus inde solita esse constat. cf. Movers I p. 166. 290. 342. Hupfeld I p. 47.

2) Quamquam ne Eusebii negligentiae indulgeamus, ex Iosephi testimonio Nabopolassari 21 anni tribuendi sunt. vid. inf.

tavit Hupfeldus (II, 49) reprobandum esse videtur. Is enim, qui ex compendio *ΣΡΔΠΟΣ* voculam prodiisse *ΣΑΡΑΚΟΣ* contendit, nota tam decurtata vocem scribi potuisse non probavit. Nos alia ratione difficultatem expedituri eo pedem figimus, quod docuit Moversus I p. 478, nomen *Σαρδανάπαλος* ex duobus compositum esse elementis, e voce „Sardan," vel „Sandan," dei Sandonis nomine et ex adiectivo „apal," quod linguae Persicae Indicaeque verbo „pala" i. e. magnus, excelsus, explicetur; ita ut totum nomen „Sandon magnus" verbis vertendum sit. Quod quum iam Muellerus in singulari de Sandone et Sardanapalo commentatione suspicatus fuisset, nummo cui haec inscripta leguntur: *ΗΡΑΚ ΑΠΑΛΑ* (cf. Ekhel. S. n. v. Tab. VI, 1) confirmari videtur. Quae si ita sunt, id quod addubitari posse sentio, dum certius aliquid reperiatur, non displicet coniectura Berosum, cui ea nominis et compositio et significatio nota et in usu erat, quod nomen primum totum perscripserat, idem postea brevitatis causa omisso adiectivo decurtatum usurpasse. Itaque ubi lacunam esse docuimus, quod integrum nomen Polyhistor exhibet, integrum is apud Berosum legerat atque inde Abydenus quoque verba: „ex qua Sardanapalus quoque exstitit," desumpserit. Paulo post autem, ut erroris origo exemplo illustretur, Chaldaeum ita fere scribere potuisse veri absimile non est: *Οὗτος στρατηγὸς ὑπὸ ΣΑΡΔΑΝΟΣ τοῦ Χαλδαίων βασιλέως σταλείς* cet. (cf. s. p. 30 Not. 1) Verum enim vero e voce *ΣΑΡΔΑΝΟΣ* prodire potuisse *ΣΑΡΑΚΟΣ* praesertim linguae illi imperitia tam decepto, ut formas eiusdem nominis diversas diversa nomina putaret, mirum non est. Quae quum ita sint, ut paucis omnia complectamur, Assyriorum rex ultimus, quem Berosus Sardanapalum, Abydenus vero errore seductus Saracum appellat, in canone Ptolemaei denique nomine Chyniladani perscriptum invenimus, ab anno 646 usque ad a. 625, quo Nabopolassarem Chaldaeis praefecit, in eorum annalibus Babylonis rex notatus erat [1]. Iam

1) Fallitur Winerus (l. s.), qui fallaci Abydeni nisus testimonio, ut V.

vero quoniam Sammugis illum fratrem fuisse accepimus; eum quoque non Babyloni tantum praefectum, ut statuit Moversus, sed eundem utriusque imperii clavum tenuisse verisimile est; ita ut omnes, quos a Sanacharibo usque ad Nabopolassarem reges a Beroso enumerari legimus, Assyrios fuisse affirmare non dubitemus. His ita constitutis priusquam ad temporum definitionem transeamus, quanta sit inter Ctesiae ceterorumque de Assyrii regni interitu memoriam similitudo tetigisse refert. Omnibus enim ex Ctesiana de Sardanapalo narratione demptis momentis, quae partim ex dei Sandonis vel natura, vel cultu in cognominem regem collata esse post Muellerum (l. s.) Moversus docuit (Phoen. I p. 458 sq.), partim orientalium debentur ornamentis [1]), quaecunque restant, a ceterorum scriptorum memoria quam proxime absunt. Uterque enim fons Medos et Babylonios coniunctos Assyriorum regnum evertisse, uterque regem ultimum cum regia sese concremasse [2]), uterque denique nomen ei fuisse Sardanapalo testatur; quin etiam alterum, quod e Ptolemaei canone innotuit Chy-

T. temporum rationes cum rationibus Berosi componat, a Polyhistore aliquot reges in serie omissos esse contendit. Isto enim teste (ap. Eus. p. 53 ed. Auch.), a. V. T. (II Reg. 19, 37) dissidente, post Sanacharibum Nergilus, deinde Adramelus, tum Axerdis regnavere. Quorum illi parricidae sunt Sanacharibi (cf. Movers p. 342, Hitzig Begriff der Kritik p. 195), hic ab Asordano diversus non est. Sed accedit ad illos errores, quod Axerdi Saracum successisse his verbis significari videtur: „Axerdis autem Aegyptum partesque Syriae inferioris in suam potestatem redegit; ex qua Sardanapallus quoque exstitit. Post quem Saracus in Assyrios regnavit“ cet. Nam quominus cum Winero (l. s.) Sardanapalum exceptum esse a Saraco colligamus, id prohibet, quod in verbis illis de r e g e Sardanapalo nihil inest.

1) Cf. Blum Herodot und Ktesias p. 240 sq.

2) Quod, quum praeter aedes antiquissimas in pago Nimrud repertas omnes Layardo l. s. I p. 27. 62 et Botta l. s. p. 35 testibus incendio interiisse vestigia adsint, verum esse monumentis probatur.

niliadani nomen, si fides est Moverso (I p. 291 et 464), a cognomine quod addunt Syncellus (312 Dind.) atque Eusebius (p. 100 ed. Auch.) Thonosconcoleri vel Conosconcolori [1]) diversum non est, ita ut hac ipsa re, quae contra Moversum supra disputavimus, mire confirmentur [2]). Quapropter quum idem imperii exitium ut a Ctesia ita a ceteris tradi certum sit, quid obstet, quominus cum Dunckero [3]) trium annorum fuisse obsidionem illi credamus non video. Nam neque Medos ab externis sese abstinuisse bellis Asiae dominantibus Scythis, ex eo quod a. 610 Cyaxarem cum Lydis proeliatum esse cognitum habemus [4]), satis apparet, neque testimonium Herodoti Scythis pulsis expugnatam esse Ninivem refragatur. Utrum vero Belesys quoque Babyloniorum et Arbaces Medorum dux cum

1) Hanc formam Suidas exhibet. v. v. Κονοσκογκόλορος.

2) Quare quum de uno eodemque Sardanapalo Ctesias Berosusque loquantur, duos fuisse eius nominis reges Hellanici (cf. s. p. 1), Callisthenis (cf. Suid. v. Σαρδ.) et Hesychii (vide v. Σαρδ.) testimoniis nititur, quae eo etiam possunt fulciri, quod in monumenti ab Alexandri M. sociis ad Anchialem reperti inscriptione Sardanapalus sese Tarsi Anchialisque vocat conditorem filiumque Anakyndaraxis (cf. Athen. XII, 528, 38 sq.), quod nomen non minus a Ctesiae quam a Berosi memoria alienum est. Attamen nec illa quidquam valent, si vera est Moversi sententia ex contraria dei Sandonis natura tantum in unum regem collatum repperisse homines, ut duos distinguendos esse crederent, et de alterius documenti autoritate magna oritur dubitatio, quum recte Alexandri socios ad Sardanapalum monumentum retulisse recteque inscriptionem explicasse ideo veri dissimile sit, quod Sanacharibum in Cilicia monumentum posuisse Tarsumque condidisse testes sunt Polyhistor atque Abydenus. (Cf. Euseb. ed. Auch. I p. 34 et 53). Ita fit, ut, nisi nova praesidia ex inscriptionibus suppeditantur, id quod a Rawlinsono putari supra vidimus p. 25, ea de duobus Sardanapalis altero bellicoso, altero effeminato sententia fundamenti quo nitatur non satis habeat.

3) Geschichte des Alterthums. Berlin, 1852. I, p. 396.

4) Cf. Abh. der Berlin. Akademie, 1812—1813 p. 75 sq.

Busalossoro (Eus. Arm. Auch. p. 54) et Cyaxare iidem sint, an Assyrii regni eversione cum Asianarum gentium defectione a Ctesia commixta et confusa inde illi fluxerint, disceptari nequit. Sed via hoc modo munita a Sanacharibo inde usque ad Nabopolassarem tempora definienda sunt. Quod quum antea ita institui soleret [1]), ut V. T. calculi firmo essent fundamento, nunc postquam primus Niebuhrius (l. s.) Berosum sibi ducem esse opinatus, de eorum integritate dubitationes movit eamque post illum Moversus, quem nuper secutus est Scheuchzerus [2]) (Phul und Nabonassar. 1850.) reiecit, illorum autoritas vel contra eos defendenda, vel cum iis refellenda est. Nam Moversus (Phoen. II, 1, 138 sq.) a computo profectus Iosephi, qui (c. Apion. I, 17. 18) inter Carthaginem conditam atque annum duodecimum Hieronis 143 annos interfuisse tradit, (cf. p. 149) ascito Iustini testimonio (XVIII, 6. 9) Carthaginem 72 annis ante U. C. esse exstructam, annum Salomonis quartum, quem Hieronis fuisse duodecimum Flavius testis est (l. s. et Ant. VIII, 3), anno 969 a. Chr. adsignat. Qui quoniam annis 43 ab ea subductione distat, quae solis V. T. nititur numeris, eam aequali ceterarum gentium historia duce corrigere incepit. Iam quum Hebraeorum regum memoria Israelitici imperii exstinctione in duas partes dispescatur, quarum uniuscuiusque ratio temporum diverso modo definienda est, ut numeri utrum corrupti sint necne disceptari queat, de quaque seorsum agendum erit. Ac primo quidem loco de altera, cui plura et ex Babyloniorum et ex Aegyptiorum annalibus comparationis momenta suppeditantur. Itaque ut primum cum **Berosi** rationibus rationes V. T. conferamus, ne desit, quo pedem figamus, ex V. T. computo, ex quo a. Hezekiae decimus quartus anno 711 incidit (cf. s. p. 18 sq.), primum Sanacharibi annum esse 713 sciendum est. Nam quod

---

1) Cf. Hupfeld l. s. 1 p. 51 Not. 1.

2) Hisce quartum et quintum nunc accedere video Bosanquetum in Athenaeo a. 1851 N. 1246 sq. et Gumpachium (l. s.)

iam ex V. T. quum Moversus (II, 1, 155) tum Ewaldus (l. s. III, 1, p. 472 sq.) regni anno tertio Hierosolyma illum petiisse coniecerant, idem nunc Rawlinsonus (Athen. l. s. et Outlines of the Assyr. History p. 32 sq.) ex inscriptione eruit cuneata. A quo, si verum esset, quod Eusebius (I p. 43 sq. A.) ex Polyhistore tradidit, a Sanacharibo usque ad Nebucadnezarem annos comprehendi 88, Berosi computus, qui eo pacto anno 692 (604 + 88 = 692), vel ut vult Moversus anno 693, annum Sanacharibi primum adscriberet, longe discederet. Sed ut de hac re probe possit iudicari singula percenseantur. Eusebii (ed. Aucher I, 43 sq.) enim verba haec sunt: „Verum et temporis utique ratio convenit cum verbis, quae a Divina Scriptura dicuntur. Etenim sub Ezekia regnavit Sinecherim, ut Polyhistor exponit, annis XVIII et post eum eiusdem filius annis VIII. Postea vero Sammuges annis XXI et frater eius annis XXI. Ac deinde Nabupalsar annis XX et post eum Nabucodrossorus annis XLIII. A Sinecherimo usque ad Nabucodrossorum comprehenduntur anni omnino LXXXVIII."

„Iuxta vero Hebraeorum quoque libros, si quis diligenter exquirat, similiter comperiet. Si quidem post Ezekiam, qui reliqui fuerant Iudaeis imperat Manasses, Ezekiae filius, annis LV ac deinde Amos annis XII et post eum Iosias annis XXXI postea vero Ioachim: cuius regni initio adveniens Nabuchodonosor obsedit Ierusalem, captivosque Iudaeos Babylonem duxit. Numerantur autem ab Ezekia usque ad Nabuchodonosorum anni LXXXVIII, quos annos nimirum et ipse Polyhistor ex Chaldaïcis commentariis computavit."

E quibus, utcunque sese res habet, id dubitationi obnoxium non esse efficitur, quin a Beroso ipso [1]) anni 88

1) Nam ne de Polyhistore cogitemus Eusebii testimonium (p. 45 Auch.): „Porro sicuti Berosus de regno Chaldaeorum breviter singula tradit, item et Polyhistor eodem modo describit" prohibet.

ullo modo fuerint computati. Quod quum iam ex ipsis Eusebii verbis, tum ex eo potissimum apparet, quod Chaldaeorum calculos cum calculis V. T. ita conferri videmus, ut non illi his, sed hi illis adaptentur. Primum enim additorum 55, 12 et 31 annorum summam computat Eusebius annorum 88, a vera summa decem annis discrepantem. Nam qui annos 12 corrigendos esse putat, ab illius sententia digreditur, a quo totidem semper Amosi adsignari constat (cf. Eus. ed. Maii p. 243). Deinde Hezekiae annorum 15 ne rationem quidem habet Caesariensis, tanquam si Sanacharibum rege Manasse Iudaeam petiisse ratus fuisset. Sin Berosus illius calculi auctor fuit, num sat diligenter eius sententia ab Eusebio reddatur, magnae oboriuntur dubitationes. Nam neque quid illum compulerit, ut a Sanacharibo inde usque ad Nebucadnezarem regnorum spatia consummaret divinare possumus, nec, etiamsi id fieri posset, ita tempora ille constituere potuisset. Nec enim Berosum nisi consilio quodam ductum eorum temporum summam subduxisse consentaneum est. Neque tamen id, quod exspectandum erat, unius ab eo domus regna ea summa comprehendi ex eo, quod Eusebio teste in ea serie reges quatuor Assyrii cum Chaldaeo Nabopolassare coniunguntur, satis apparet. Sed etiamsi ratio, qua permotus talia instituerit, intelligeretur, si in singulis numeris unum tantum annum vel deesse, vel superesse ostendatur, eam annorum 88 summam, quam ipsam integram esse Eusebii nos docuit ratiocinatio, non huius, sed alius spatii complecti tempora sequatur. Atqui nec de annis 21 Sammugis ac 21 Sardanapali, probatis illis canonis Ptol. consensu, nec de annis 18 Sanacharibi non semel ab Eusebio commemoratis (p. 43 et 44 A.) dubitationi locus est, Nabopolassari autem Berosum non 20 sed cum c. Ptol. 21 annos tribuisse Iosephi testimonium docet [1]). Quam dif-

1) Ant. Iud. X, 11 p. 391 ed. Didot. Τῷ δὲ Ναβοπολασσάρῳ συνέβη — μεταλλάξαι τὸν βίον ἔτη βασιλεύσαντι εἴκοσι καὶ ἕν.

ficultatem quam ita effugere studeat Moversus (II, 1 p. 156), ut eos tantum Nabopolassaris annos computatos esse, quibus filio in regni societatem nondum assumpto (cf. Ioseph. Ant. Iud. X, 2 et supra p. 29) solus imperium tenuerit, Nebucadnezaris vero regni initium secundum Berosum iam anno 605 incidisse statuat, et Iosephi memoriam, et quod ab illo Nebucadnezari non 44 sed 43 annos dari scimus, neglexit. Neque tamen nulla via relicta est, qua eiusmodi computum institutum esse fortasse explicetur. Nam Berosum totum tempus, quo a Sanacharibo inde rege sub Assyriorum iugo Babylonii fuerint complecti voluisse cogitari posset. Sed et uno quidem verbo ab Eusebio id significatum fuisse, neque in calculo, qui in definiendis Assyriorum regum temporibus nititur, Nabopolassari locum futurum fuisse exspectes; accedit difficultas tertia eaque gravissima, quod verisimile non est post a. 625 Babylonios Assyriis sese subditos credidisse. Verum non Nabopolassaris tantum, sed A s o r d a n i quoque regni anni ab Eusebio corrupti exhibentur. Quod quidem ex comparatione, quam, ut novis argumentis Eusebiani istius testimonii integritatem impugnemus, inter P t o l e m. c a n o n i s et Berosi rationes faciemus, apparebit. Nam de Sanacharibi cum Babylone bellis haec ex Polyhistore tradit Eusebius p. 42 ed. Auch.: „Postquam regnasset frater Senecharibi et deinde postquam Acises in Babylonios dominatus esset, et nec dum triginta quidem diebus regnum tenuisset, a Marodach Baladano occisus est; et Marodach Baladanus per vim (regnum) tenuit sex mensibus: eum vero interficiens, regnabat quidam, cui nomen E l i b u s. Verum t e r t i o regni eius anno, Sennecheribus rex Assyriorum exercitum conflabat adversus Babylonios, proelioque cum iis commisso vicit, et captum una cum amicis in terram Assyriorum perduci iussit. In Babylonios ergo dominatus regem eis f i l i u m suum A s o r d a n i u m constituit, ipse vero recedens,

---

nam quin corrigenda sint l. l. c. Apion. c. 19 verba ἔτη βεβασιλευκότι εἰκοσιν ἐννέα dubitari nequit.

terram Assyriorum petiit." Quae si cum Ptolemaei contuleris canone in eo ante Aparanadii memoriam, cuius nomen cum nomine Asordanii nullam non habere similitudinem negari nequit, tres annos (a. 702—699) esse perscriptos Belibi inveneris; ita ut in tanto et numerorum et nominum consensu vix dubitari queat, quin iidem reges a Ptolemaeo et Beroso commemorentur. Nam brevissima Merodach Baladani, Acisis et fortasse etiam fratris Sanacharibi regna duorum annorum ἀβασιλεύτῳ πρώτῳ comprehendi valde probabile est. Sed mira ea concordia casu facta putanda esset, si Sanacharibum ab anno inde 693 regnum tenuisse Eusebio atque Moverso crederemus. Accedit alterum, quod quum Babyloniorum regem Merodach Baladanum Hezekiae anno eius regni decimo quarto dona misisse sciamus (II Reg. 20, 12), qui eum annum a. Chr. 690 fuisse statuunt, illum Mesesimordaco (692—688), magnam nominum diversitatem nihil morati, eundem esse contendere coacti sunt. Qua in re quanto opere praestet V. T. calculus ex eo, quod anno 711 Mardocempalum Babyloni imperasse canon testatur, satis apertum est [1]. Quae omnia, quum ita sint, Berosum neque Asordano, qui bis et Aparanadii et Asaradini (680—667) nomine in canone Pt. perscriptus invenitur, annos 8, nec a Sanacharibo usque ad Nebucadnezarem 88 annos computasse propemodum pro certo affirmare possumus. Itaque Berosi sententiam restituturis aliud regnorum spatium, cui ea 88 annorum summa respondeat excogitandum est. Atque si quid video omnia singulari Eusebii negligentia turbata sunt. Qui quum a Beroso inter Nabopolassarem et Sanacharibum tempora 88 annis comprehendi legeret, Nebucadnezaris filiique nominibus inter se confusis, ea edidit, quae nunc vulgantur. Quod quam facile fieri potuerit, quia

1) Nomina Mardocempali et Merodach Baladani diversa non esse Bunsenius docuit l. s. III Urkundenbuch p. 113 Not. 1.

Nebucadnezarem a Beroso Abobassarum, quae forma a nomine Nabopolassaris paucis tantum litteris distat, appellatum esse Theophilus (ad Autolycum III p. 139 ed. Par., Fr. h. Gr. C. Mülleri II p. 508) testis est, liquet. Altera enim negligentiae ansa altera negligentia fuisse videtur, qua Asordano pro annis 28 ($\overline{KH}$) annos 8 ($\overline{H}$) Eusebius adscripsit. Nam quod annos Nabopolassaris 21 uno anno imminuit, id manifesto, ut a. 88 summa, quae a Polyhistore tradita mutari non potuit, efficeretur, factum est. De quibus omnibus quo melius possis iudicare genuinam Berosi rationem corruptis Eusebii calculis infra appinximus:

Rationes

Berosi:			Eusebii:
Sanacharibus a.	18	18	Sanacharibus.
Asordanus .	28 ($\overline{KH}$)	8 ($\overline{H}$)	Asordanus.
Sammuges .	21	21	Sammuges.
Eius frater .	21	21	Eius frater.
Summa annorum.	88		
Nabopolassar .	21	20	Nabopolassar.
Nebucadnezar .		88	annorum summa.
(Abobassarus)	43	43	Nebucadnezar.

Restat, ut numeris ita restitutis omnes difficultates, quas supra attigimus, tolli probetur. Atque iam primum annis 88 Assyriae dynastiae tempora, cui, id quod infra docebitur, anno Sanacharibi primo (713) Babylone potitae, anno 625 domus Chaldaïca, cuius princeps fuit Nabopolassar, successit, complexum esse Berosum liquet. Deinde tanta ex eo computo V. T. cum Beroso efficitur concordia, ut et annus Sanacharibi primus eidem incidat anno 713 (625 + 88 = 713), cui V. T. testimoniis nisi eum adsignan-

dum esse vidimus, et summa biblicorum numerorum fides confirmetur [1]).

Itaque quum tale certissimorum numerorum fundamentum nobis comparaverimus, approbatione Aegyptiorum temporum, quae eadem cum confidentia non possunt constitui, non indigemus, verum illis potius horum veritas metienda est. Sed ne primo impetu propulsato alterum videamur declinare, in Aegyptiorum quoque annalium vel consensum, vel dissensum inquiratur, quamquam id sat accurate nonnisi ab illis institui posse sentio, qui iis examinandis totos sese dant. Id tantum efficere volui, ut ea documenta magis corroborare, quam frangere sententiam nostram putentur. Etenim si ab anno a. Chr. 525 Persarum in Aegyptios dominationis primo [2]) proficiscimur, Manethone monumentisque ducibus cum Moverso hoc parapegma statui potest [3]):

---

1) Haec omnia si recte statuimus, de Bosanqueti (Ath. l. s.) quoque sententia, qui Eusebii isto testimonio et Demetrii cuiusdam (in Clementis Alexandrini Strom. 1 p. 146) memoria, cuius autoritati nimium credidit, fretus, Sanacharibum ab anno inde 693 regnasse contendit, actum esse consentaneum est.

2) Cf. Movers II, 1 p. 156. Boeckh. Manetho und die Hundsternperiode p. 354. Ceterum eum annum potius ideo notavimus, ut disputatio nostra contra Moversum magis perspicua esset, quam ut de eius anni definitione litem hoc loco disceptare auderemus. Nam sive Bunsenium, sive illos sequeris nostra non corruit sententia.

3) Quum de dynastiae XXIII et XXIV temporum definitione omnes consentiant, atque dynastiam XXVI annos 160 regnasse post Bunsenii (Aegyptens Stelle in der Weltgeschichte III p. 142) disputationem vix ambigi queat, id unum hic monendum est, ideo nos prohiberi, quominus quos Africanus Tirhacae tribuit annos 18, quia in Aethiopiae monumento (Boeckh. l. s. p. 330) vigesimus eius regni annus notatus reperiatur, mutemus (cf. Bunsen III p. 138), quod ibi eos quoque annos, per quos, antequam Aegypto potitus erat, Aethiopibus ille imperavit, computatos esse probabile est.

Dyn.	Anni.	Nom. reg.	A. a. Chr.
XXIII.	89		820—731
XXIV.	6		731—725
XXV.	40		725—685
	(8)	Sabaco	(725—717)
	(14)	Sevichus	(717—703)
	(18)	Tirhaka	(703—685)
XXVI.	160		685—525

Cum quo ut iam Israelitarum annales componamus, quum ex iis Tirhakam contra Sanacharibum anno Hezekiae decimo quarto adventasse constet (II. Reg. 19, 9), qui eum annum a. 693 incidisse putant, cum istis calculis in summa concordia esse videntur, verum videntur tantum; nam ideo iis adversantur, quod tum temporis Aethiopum regem fuisse Tirhakam alter liber Regum (l. s.) atque Aegyptiis contra Assyrios opem tulisse Iosephus (Ant. Iud. X, 4) testis est; ita ut ante annum 703, quo ex illius tabulae computo Aegypto potitus est, eum adortum esse Sanacharibum sequatur. Deinde neque illud, quod Hoseam ante regni annum sextum (cf. Movers II, 1, 159), qui est ex V. T. rationibus a. a. Chr. 722 (cf. Ewald l. s. p. 478 sq.), secundum Moversum annus 701, cum Sua rege Aegyptiorum societatem iniisse certum est, illius magis, quam nostrae sententiae favet. Etenim nisi ex temporum definitione utrum Sabaco an Sevichus, quibus formis idem nomen subesse Bunsenius docuit (III p. 137), cum Sua idem sit disceptari nequit (cf. Boeckh Hundsternperiode p. 328). Itaque quoniam cum biblicis calculis per totum spatium, quod ab Israelitici regni exorditur eversione, Berosi rationes tam mire conspirant, nec Aegyptiorum annales contra eos pugnare videntur, ne tertium quidem argumentum, quod ex Hezekielis prophetae quem sibi fingit dissensu petere nisus est Moversus, contra eorum fidem quidquam pollet. Ille enim (IV, 4) per quot annos et decem Israelitarum et duabus Iudaeorum gentibus poena luenda fuerit,

tot dies corporis servare castimonium iussus, illis, si eam quam LXX scripturam exhibent sequimur, exilii annos 150, his 40 tribuere videtur. Hinc profectus Moversus (II, 1, 164) eundem utrique supplicio finem esse ratus, eum, annis 40 ex versus primi sententia ab anno 589, quo Hierosolyma obsidione cincta sunt, subductis, in anno ante Chr. ponit 549, ita ut Israelitici imperii eversio anno incidat 699 (549 + 150 = 699), qui cum ceteris illis calculis prorsus concordat. Quae omnia, si dubitationi locum non darent, prophetam a libro Regum dissentire concedendum, neque tamen tanta ei gravitas tribuenda esset, ut contra Babyloniorum et Aegyptiorum annalium concordiam quidquam valere putaretur. Sed quia nec quo iure idem utrique exilio terminus assignetur intelligitur, et quae in Hebraeis exemplis exhibetur annorum 430 summa ex eorum annorum 430 comparatione optime explicatur [1], quos Israelitas in Aegypto degisse liber alter Mosis (12, 40) testis est, certum incerto praeferendum esse videtur.

Quae omnia quum ita sint, annorum Manassis regni 55 mutatione, quam post Niebuhrium Moversus, Scheuchzerus atque Gumpachius [2] proposuerunt, nos non indigemus. Ceterum ut Berosi, V. T. et Ptolemaei canonis consensum in uno conspectu contueri possis, hanc tabulam subiecimus:

1) Cf. Hitzig der Prophet Ezechiel p. 30 sq.

2) L. s. p. 98. Nam quam lubricum illud sit, quod 55 annorum regnum longius esse confirmatur, quam quod regi queat assignari, cui annorum 22 filius successerit, vix est quod moneatur.

Rationes

Berosi:		Canonis Ptolem:		V. T.:
Sanacharibus r. a. 18	713-695	Mardocempalus	721-709	Hezekia 724-695
Babylone potitus est a. 713 (cf. infra) [Palaestinam Aegyptumque petiit. cf. p. 37. a. 711]				Hezekiae a. XIV. (711) Sanacharibus Palaestinam petiit.
Babyloni praefecit fratrem, cui quum successisset Acises eoque 30 diebus post a Merodach Baladano occiso, hic per 6 menses regnasset, eumque secutus esset Elibus,		Arcianus	709-704	
		Interregnum	704-702	
is 3 annis post a Sanacharibo victus, in regno a S. filio Asordano exceptus est.		Belibus 3 a.	702-699	
	[699]	Aparanadius	699-693	
Asord. r. Ass. et Bab.	695-693	Regebelus	693-692	
Ass. sol.	693-680	Mesesimordacus	692-688	
		Interreguum	688-680	
Ass. et Bab.	680-667	Asaradinus	680-667	
Sammuges a. 21	667-646	Saosduchinus	667-647	
Sardanapalus imp. Assyriis et Babyloniis a. 21.	646-625	Kinneladanus	647-625	
solis Assyriis a. 19.	625-606	Nabopolassar	625-604	

Diversis in canone Pt. uti Assarhaddonem primum Apronadii, dein Asaradini nominibus neminem poterit morari; nam eundem variis temporibus bis Babyloni imperasse oblitis nomen in diversas formas abiisse facilius intelligitur, quam quibus rationibus ductus aliquamdiu eius regni moderationem aliis ille commiserit dici potest. Eadem confidentia, qua de tota illa quaestione iudicari potuit, de altera, quae in eorum regum temporibus definiendis versata, quos ante Sanacha-

ribum Assyriis imperasse ex V. T. innotuit, ab eius tantum calculis pendet, fieri id non poterit. Nam eorum subductio quam amplum dubitationi locum praebere debeat iam ex eo, quod, si consummatis regnorum annis, qui quum Israelitarum tum Iudaeorum regibus tribuuntur, singulas summas inter se comparaveris, alteram ab altera discrepare et eidem spatio diversum annorum numerum adsignari reperies, satis apparet. Cui si fides est Moverso accedit, quod quomodocunque eam litem composueris, synchronarum et Phoeniciarum et Aegyptiarum rerum annales dissentire videntur. Ex illis enim quum annum Salomonis quartum esse annum a. Chr. 969 colligatur (vide supra p. 36), ea definitio, a definitione apud nos pervulgata, quae solis V. T. testimoniis nititur, non minus discedit, quam cum Sesaci aetate, si quidem annorum ea 940—919 spatio adsignatur [1]), conspirat. Annus enim Rehabeami quintus, quo illum Palaestinam petiisse memoriae traditum est (cf. Reg. I, 14, 25), ab a. primo Salomonis 45 annis distat. Quae si a quaque dubitatione vacua essent, numerorum grave aliquod vitium eorum regnorum numeris inesse, quae Israelitici imperii finem praecedunt, concedendum esset. Sed neque Aegyptiorum annalium rationes recte subductas esse iam satis constat [2]), neque ille quidem, quem Phoeniciorum computum Moversus instituit, quia coniunctis duabus narrationibus nititur, quarum altera Iustini e Punicis fontibus (Movers II, 2 p. 154) altera Iosephi ex Tyriis (II, 1 p. 142) annalibus hausta esse videtur, tam indubitatus est,

---

1) Ita Moversus tempora definivit ab iis calculis profectus, quos supra protulimus, duce solo Africano, qui dynastiam XXII a. 120 eiusque regem primum Sesogchin (Sesacum) a. 21 (cf. Buns. III. Urk. p. 34) testatur regnasse, et spreta omni inscriptionum memoria.

2) Nam Boeckhius quidem (l. s. p. 316 sq.), quamquam ex Manethonis sententia a. 934 Sesaci regni initium statuit esse assignandum, de componenda eius aetate cum vulgata V. T. temporum definitione non desperavit.

ut eo solo duce numeros V. T. corrigere queamus audere. Itaque ei, quem hae difficultates non morantur, altera tantum, quam supra significavimus, restat. Quam quantum video probabilissime expedivit Ewaldus, ita ut eum sequi nullus dubitem, longius rem persequi, quum certo fundamento destituti minute eorum Assyriae regum tempora constituere non possimus, a consilio meo abesse ratus. Quamquam illud quidem suppeditare videtur Samuel Aniensis. Is enim Phulo annos 16, Tiglat Pilesari a. 27 Salmanassaris denique regno a. 16 adsignat (p. 16 ed. Maii). Sed ut regum, qui proxime sequuntur nomina totam seriem ex Eusebii libro altero (p. 23 ed. Aucher) depromptam esse arguunt, ita annorum numeri vel ex eiusdem canone, vel ex ei simillimo sic desumpti esse videntur, ut, quum in illo certo Menahemi, Pekae, Hoseae et Hezekiae regnorum anno Assyriorum regum memoria adnotata esset, ii annorum numeri, qui variis illis terminis intersunt, singulis regnis adscriberentur. Nam quoniam Phuli in Palaestinam incursio ab Eusebio (II p. 171 A.) anno Abrahami 1230 [1]; anno 1289 vero Sanacharibi expeditio adsignatur (II p. 179 A.), tot annorum spatium iis terminis intercedit, quot consummatis illorum regnorum numeris, qui ex Samuele innotuerunt, efficiuntur (16 + 27 + 16 = 59 = 1289 — 1230). In tanta igitur summarum concordia, quod singulorum numerorum soli Salmanassaris a. 16 cum canone Eusebii, ut in Maii editione legitur, conveniunt [2]), morari nos non

---

1) Nam ne Eusebius secum ipse dicatur pugnasse, nec Menahemo plus annis decem assignandi sunt (cf. p. 245 ed. Maii), nec Phuli expeditio anno Abrahami 1231 adscribenda est, sed anno 1230, qui est annus Menahemi decimus (Cf. E. ed. M. p. 348).

2) 1289 — 1273 = 16. Nam Salmanassaris memoria anno 1273 subscripta est (cf. l. s. p. 320) quamquam non accurate; debuit enim subscribi a. 1270, Hoseae IX.; id quod ab Auchero factum est (II p. 175); ita ut ex eius adornatione, ex qua Tiglat Pilesaris ex-

poterit. Etenim quum cuique chronographo Phuli et Tiglat Pilesaris memoriam V. T. duce ex suo arbitrio cui placuit Menahemi et Pekae regni anno adscribere licuerit, ceterarum autem Assyriarum expeditionum aetas, certo anno IX. Hoseae et Hezekiae XIV. fixa, ex varia ratione temporum varie definiretur, et quod ceterorum regnorum anni ab Eusebii illo canone paucis annis recedunt, et quod ab aliis alios numeros spatiorum illorum ratione tantum in universum servata, perscriptos invenimus, explicatur. Ceterum iam ex his, quae sit istis numeris fides apparet. Nam ut de isto chronographorum incepto prorsus taceamus, Eusebium V. T. tantum nisum omnia illa adnotasse et ipsa verba, et quibus adscripta sunt, arguunt

---

peditio sub anno 1243 commemoratur, qui eius regno tribuuntur anni 27 cum canonis computo ea ratione, quam dixi, conveniant (1270 — 1243 = 27). Ceterum quum nondum canon repertus sit, in quo illa spatia numeros regnorum prorsus exaequent, ne quis ex eo dissensu dubitationem petat, altero etiam argumento eoque haud debiliore sententia firmetur. Etenim praeter illud parapegma Samuelis duo mihi occurrerunt, quorum alterum ab altero non minus discrepat, quam ab illo utrumque; neque tamen ita, ut depravatione numerorum eae diversitates ortae esse possint. Quis enim credet ex signis 16, 27, 16 vel numeros 14, 23, 15 (cf. Ewald l. s. p. III, 1, p. 471. Not. 1.) vel signa 14, 23, 17, quae mihi nescio quo loco reperta exscripsit Gutschmidius meus, negligentia librarii nata esse, quae tam constans fuisset, ut altera semper numeri parte intacta, alteram tantum ita corrupisset, ut signa maxime dissimilia inter sese commutasset? Itaque nescio an ulla ratione earum editionum diversitates melius explicentur, quam ea, quae supra exposita est; praesertim quum et canon mirum in modum coniecturam fulciat, nec causa, ex qua nonnunquam videatur adversari, lateat. Ceterum ex alia ratione regnorum illa spatia, quae Samuel exhibet, ex alia, quae adscripsit additamenta (p. 16), manifesto orta sunt. Etenim illa ita ut docui nata, a chronographo aliquo mutuatus, cum iis coniunxit, quae in Eusebii canone notata invenit. Ab anno enim profecto

anni. Quod autem Sangonis ne mentionem quidem iniectam esse videmus, id manifesto inde factum est, quod in historicis V. T. libris is non commemoratur. Ceterum ut id hoc loco inseramus, priusquam certi quid ex inscriptionibus eruatur, in ea sententia illum, qui eundem atque Sanacharibus ducem habuisse videtur, Tarthanum, neque tamen propter nominum diversitatem vel Salmanassari, vel Sanacharibo idem habendus est, inter annum 719 et 713 Aegyptum petiisse acquiescendum erit. Atque eadem continentia dum novi fontes nobis suppeditentur in constituenda eorum regum aetate, qui illi praecessere, opus erit; nec nisi Menahemo rege (769—759 cf. Ewald l. s.) Phulum, Peka imperante (757—728) Tiglat Pilesarem in Palaestinam invasisse, anno denique 719 a Salmanassare Hosea regnante Israelitarum regnum eversum esse, statui poterit.

His constitutis ad eius aetatis definitionem nobis viam munivimus, qua imperium, quod plus quingentis annis totius propemodum Asiae Assyrii tenuerunt, potentissimarum nationum defectione imminutum est. Illius rei testes habemus alterum luculentum, alterum fere numerorum tantum signis loquentem. Nam Herodotus primum quidem Medos, deinde ceteras quoque nationes, quum per 520 annos in Assyriorum ditione fuissent, iugum exuisse autor est (I, 95). Ex Beroso autem Eusebius (I p. 40 sq. A.) haec exhibet: „Post quos annos etiam ipsam Semiramidem in

1225 (cf. Eus. p. 245 M.), cui fortasse ab Africano Phuli memoria appicta fuerit, Phuli annus XVI., „quo prima Olympias acta est," anno incidit 1240 (1225 + 16 = 1241 = Ol. I, 2 cf. Eus. p. 319 M.) et Tiglat Pilesaris annus III. anno 1248, sub quo Eusebius eius expeditionem commemoravit; atque hinc Samuelis de Tiglat Pilesare verba intelliguntur: „Is tertio (decimo vocculam expunxi propter proxima: Is (sc. Salmanassar) item tertio anno cet.) anno progressus in Iudaeam" cet., quae omnia exceptis numeris ex Eusebio descripta sunt. Iam consecuum erat, ut Salmanassaris annus I. anno 1268 (1241 + 27 = 1268) et Israelitici imperii eversio anno eius regni III. i. e. anno 1270, cui Eusebius eam adscripsit ab eo assignaretur, id quod revera factum est.

Assyrios dominatam esse tradit. Atque iterum inde enumerat nomina regum XLV adsignans illis annos 526. Post quos, inquit, rex Chaldaeorum fuit, cui nomen Phulus; de quo item Hebraeorum quoque historia meminit, Phulum denominans, quem in terram Iudaeorum venisse aiunt*).

Quae omnia si cum Herodoti computo convenire demonstretur, huius verba ex eodem fonte profusa interpretis esse illiusque supplere posse apparet. Atqui, quia annorum 526 terminus sit annus 747, quem constans annalium parapegmatumque exordium fuisse Chaldaeis Ptolemaei canon docet, ita ut in Berosi rationibus silentio praeteriri non potuerit, non dubitandum est. Quod quum iam dudum Niebuhrius suspicatus fuisset, contra quem frustra Hupfeldius disputavit, nunc per Gutschmidii mei emendationem, quam supra commemoravi (p. 16 sq.), confirmatum est. Prorsus igitur Berosum Herodotumque, quorum uterque imperii, ut rotundo numero utar, annorum quingentorum initium anno 1273 (747 + 526 = 1273 = 753 + 520 vide s. p. 8) adsignat, conspirare apertum est. Quapropter primum quidem ex Herodoti testimonio dynastiam Berosi septimam Assyriam fuisse cum necessitate cogimur, deinde post Medorum anni 713 defectionem Babylonios quoque iugum excussisse ex his verbis μετὰ δὲ τούτους (sc. Μήδους) καὶ τὰ ἄλλα ἔθνεα ἐποίεε τὠυτὸ τοῖσι Μήδοισι probabile fit, ita ut anno 747 Nabonassarem, quem principem Ptolemaei canonis locum obtinere vidimus, primum post annorum 771 servitutem liberatae civitatis regem fuisse non temere contendatur. Neque cum ea sententia minus congruit, quod Polyhistor (ap. Sync. p. 390 ed. Bonn.) Nabonassarem, ut ab ipso Chaldaeorum regum enumeratio inciperet, quaecumque de priorum regum rebus gestis memoriae tradita exstiterint, collecta delevisse refert, quam si cum Gutschmidio (l. s. p. 264) Assyrii regni usurpatorem eum fuisse putamus, praecipue quum Assyrium eum fuisse regem nusquam reperiatur. Quae quum ita sint quam sit mirum, quod post Assyrorum illam domi-

nationem anno 747 non Nabonassar, sed Phulus Chaldaeorum rex fuisse perhibetur, apparet. Nam si Phulus, quem Assyriorum regem fuisse constat, revera anno 747 regnum incepit, nec aliis praeterquam illis potuit imperare, nec fuit cur a Beroso commemoraretur, sin Chaldaeorum quoque imperium tenuit, nisi ante annum 747 id fieri non potuit. Quam difficultatem si quis cum Scheuchzero (l. s.) ita tollere sibi videtur, ut cum Phulo Nabonassarem eundem esse censeat, non adsentimur. Nam ut tempora conveniant, de quo dubitari posse supra vidimus, id tamen praeter nominum diversitatem potissimum obstat, quod quum et Phulum et Nabonassarem Berosus commemoret 1), eundem modo hoc modo illo nomine ab eo nominatum fuisse verisimile non est. Itaque quod post 45 illos reges Phulum regnasse legimus, id singulari debetur Eusebii negligentiae, qui Phulum, quem eorum ultimum fuisse Berosus testatus erat, post eos demum regnasse scripserit. Nam sive rex ille Assyriorum anno fere 770, sive ut statuit Moversus viginti fere annis post Palaestinam petiit, quominus anno 747 eum imperasse putemus, si quidem numerorum originem, qui Phuli, TiglatPilesaris et Salmanassaris regnis tribuuntur, recte perspeximus, nil obstat. Iam quamdiu Babylonii recuperata libertate fructi sint, indagandum est. Atque, ut a certo quodam momento proficiscamur, ex eo, quod Berosus primum Sanacharibi annum parapegmatis, de quo supra p. 37 sq. disputavimus, principem esse statuit, ab eo novam aliquam Babyloniarum rerum aeram incepisse et commutationem quandam eius imperii factam esse colligi potest. Ut aut si ante annum 713 Chaldaei Assyriis subditi erant, novae Sanacharibum Assyriae dynastiae caput fuisse, aut si suis legibus illi utebantur, anno 713 Assyrios reges Babylonia po-

1) Nam praeter locum quem modo attuli haec Eusebii (p. 10 ed. Auch.) verba: „Prout ille dicit, quod Nabonasarus eo tempore rex erat“ huc pertinent, quae quamquam ubi nunc leguntur omni sententia carent, tamen quia e Beroso fluxerint vix dubitandum est.

titos ab eo inde tempore id imperium tenuisse putandum sit. Quorum quod proximo loco posui veritati propius accedere quum iam Abydeni verbis (ap. Euseb. p. 53 ed. Auch.): „Eodem tempore vicesimus quintus utique Sinecherib ipse ex regibus vix demum inventus est, qui Babylonem sub ditionem redigens subegit,“ verisimile fiat, tum ex inscriptionibus, si quidem Anglis illis fides est, etiam confirmatur. Primum enim sive recte legit Hinksius (Athen. l. s. p. 977) Sanacharibum Salmanassaris fuisse fratrem, sive recte Rawlinsonus (l. s.) alterum alterius filium fuisse statuit, quod primo commemoravimus negandum esse apparet; deinde vero primo regni anno Babylonem regemque Merodach Baladanum ab illo subactum esse Rawlinsonum vidimus eruisse (Ath. l. s. p. 903 cf. supra p. 26). Nec dissidentem vides Polyhistorem, qui eo, quod Sanacharibi fratrem Babyloni non ita multo ante quam Elibo rege ea subiiceretur, imperasse tradit, iam ante annum 699 Chaldaeos Assyriorum regi occubuisse significat. Itaque quum post annum 747 et ante annum 713 Babylonios liberos fuisse constare videatur, per totum quod interest tempus suis legibus usos eos fuisse pro certo quidem affirmari nequit, ideo autem veridissimile non est, quod nec Tiglat Pilesaris, nec Salmanassaris, nec Sargonis, quippe qui Babyloni non praefuerint, nisi subinde Berosus mentionem fecisse videtur, ita ut eorum regum serie nunquam ab illo perscripta ea nomina apud epitomatores iam pridem evanuerint. Nam ita tantum habemus, quo silentium Iosephi explicetur. Ille enim si quid de illis a Beroso referri legisset, ut cum V. T. eius consensum probaret, id memorare vix omisisset, praecipue quum quae de Salmanassare ex annalibus Tyriis Menander tradiderat, accuratissime exscripserit (Ant. Iud. IX, 14, 2). Atque idem in Eusebium quoque ceterosque chronographos cadit, quamquam de illo fluctuare potest iudicium et librariorum negligentiae lacuna (I p. 41 ed. Auch.) imputari; quod, si vel apud illum vel apud ceteros ulla eorum regum memoria reperiretur, quam V. T. originem non debere pro certo af-

firmari posset, concederemus esse probabile [1]. Neque eo frangitur illa sententia, quod Tiglat Pilesare et Salmanassare regibus in agros ab Israelitis desertos Babylonios transmissos fuisse legimus (II. Reg. 17, 24). Nam bellicosissimos illos reges, quorum alter Damascenorum alter Israelitarum imperium evertit atque victricia arma in Phoeniciam usque protulit (cf. Ios. Ant. Iud. IX, 12 sq.), in Babylonios quoque expeditiones suscepisse eorumque agros quosdam, quamquam imperio ipso non subacto, in suam ditionem redegisse probabile est; immo indubitatum, si recte Rawlinsonus Merodach Baladanum cum Salmanassare bella gessisse ex inscriptionibus eruit (l. s. cf. supra p. 26). Neque tamen cum eo tantum, sed cum Elulaeo quoque eundem inimicitias egisse fortasse conici potest. Nam quum contra Salmanassarem Elulaeum Tyri regem eam urbem non sine laude defendisse Menander testis sit (ap. Ios. Ant. IX, 14), eodem fere tempore (726—721) eiusdem nominis regem Babyloni imperasse Ptolemaei canone docemur. Iam si propter nominum temporumque concordiam in utriusque gentis annalibus eundem regem perscriptum esse colligimus, qui Tyriorum rex Assyriorum fuit hostis, Babyloniorum princeps illorum amicus non fuerit.

Atque idem, quod hac de re disputavimus, ad eorum quoque sententiam pertinet, qui quod Israelitae in Medorum agros deducti esse dicuntur (II Reg. 17, 6. 18, 11.), non ante Sanacharibi accessum Medos ab Assyriis defecisse Iosephi nisi testimonio arbitrantur. Is enim Ant. Iud. X, 2, 1 de Hezekiae morbo, quo XIV. regni anno correptus fuerit, locutus c. 2, 2 ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, ait, συνέβη τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἀρχὴν ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι· δηλώσω δὲ περὶ τούτων ἐν ἑτέροις. Quod quum Hup-

1) Neque enim in nominibus a LXX. scriptura discrepant chronographi, nec in addita rerum gestarum mentione a V. T. vestigiis discedunt. Cf. Euseb. II, p. 23 (v. Crameri Anecdota Paris. II p. 156); 171; 173; 175; 179. A. Sync. p. 376. 384 ed. Bonn. Samuel. An. l. s.

feldus (Ex. Her. I p. 22) anno 714 evenisse statuat, Herodotum putat adsentire, qui suis calculis I, 130 sex annis ante quam Deioces regno potitus sit, Medos sese liberasse significaverit. Sed ut id mittamus Hezekiae annum decimum quartum vix anno 714 incidere potuisse (cf. supra p. 18 sq.), ex Herodoti verbis nihil eiusmodi colligi posse supra vidimus p. 3 sq. Quo fit, ut eo dissidente Iosephus unus testis relinquatur. Sed et huius testimonium eo frangitur, quod nequaquam ille de defectione Medorum, sed de Assyrii imperii eversione cogitavit. Etenim tam absolute tamque nude voces τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἀρχὴν dictae sunt, ut quum ne verbo quidem illorum in Medos imperii mentio facta sit, sententia non possit non de totius regni exstinctione intelligi. Accedit quod vix causam reperies, qua ductus in libris Ant. Iudaic. Medos defecisse ille narret, quin etiam tantae rem habeat gravitatis, ut iterum sese expositurum eam esse polliceatur; at utrumque si recte verba interpretaris intelligitur. Nec mediocriter etiam eo haec confirmantur, quod paulo post (X, 5, 1) ubi ita: Νεχαὼ . . . . ἐπὶ τὸν Εὐφράτην ἤλασε ποταμὸν Μήδους πολεμήσων καὶ τοὺς Βαβυλωνίους, οἳ τὴν Ἀσσυρίων κατέλυσαν ἀρχήν, de fine imperii Assyriorum loqui Iosephum ambigi nequit, iisdem ille utitur verbis, adeo ut illuc eum respicere manifestum sit. Deinde ita sibi Flavius constat, ut quum illo loco Assyriorum imperium deletum esse narrasset, eum qui in Chronic. l. II c. 33, 11, Assyriorum princeps Manassem Babylonem deduxisse commemoratur, Babyloniorum Chaldaeorumque regem nominet (cf. X, 3, 2). Sed iam tuo iure quaesiveris, unde hausta et quo errore seductus perversissima haec ille statuerit. Utrumque nisi fallor ad Diodorum referendum est. Qui quum II, 32, 26 haec habeat: Ἡρόδοτος μὲν οὖν κατὰ Ξέρξην γεγονὼς τοῖς χρόνοις φησὶν Ἀσσυρίους ἔτη πεντακόσια πρότερον τῆς Ἀσίας ἄρξαντας ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι, iam ipsis verbis a Iosepho ea exscripta esse verisimile fit, eo autem, quod et temporum ratio convenit et eundem errorem apud

utrumque subesse apparet, mirum in modum fulcitur. Nam quanto opere decipiatur ille a Siculo, quippe qui Herodoti sententiam, cum Medorum defectione regni eversione confusa, corruptissime reddiderit, non minus apertum est, quam quo re perductus illud eventum ei aetati assignaverit. Etenim quae aliquanto ante Deiocis accessum, i. e. ante Ol. 17, 2 (710) facta esse ex Diodoro (II, 32, 5) didicerat, ea anno fere Hezekiae decimo quarto optime suo iure adscripsit 1). Ceterum ex rivo magis liquido illud haustum est, quod Iosephus, ubi (Ant. IX, 11, 3) Iothamo rege Nahumum prophetam Ninives excidium vaticinatum esse ait, id centum et quindecim annis post evenisse refert. Quamquam ne id quidem prorsus verum esse videtur.

Quae omnia quum ita sese habeant, a septima inde Babyloniorum regum dynastia (cf. s. p. 17) Berosus tempora ita fere adornaverit:

Dynastia				
VII.	*Assyriorum* reg. 45. (?) ultimus Phulus.	a.	526	1273—747
VIII.	*Chaldaeorum* reg. 5. (?) 2)		34	747—713
	I. Nabonassar	a. 14		
	V. Merodach Baladanus	a. 8		
IX.	*Assyriorum* regum 4.		88	713—625
	I. Sanacharibus	a. 18		
	II. Asordanus	a. 28		
	III. Sammuges	a. 21		
	IV. Sardanapalus	a. 21		
X. 3)	*Chaldaeorum* reg. 5.		87	625—538
	I. Nabopolassar	a. 21		
	II. Nebucadnezar	a. 43		

1) Idem, quod Iosephus rege Assarhaddone — eum enim Sanacharibo successisse iam c. 1 extr. narraverat — Assyriorum imperium deletum esse tradidit, Mosem Chorenensem statuisse synchrona eius principum Assyriorum et Armeniorum tabula significatur (cf. Adnot. Whistonum p. 60.)

2) Numerus quinque regum ex Ptolemaei canone sumptus est.

3) Optime X. dynastiarum numerum Chaldaeorum calculis convenire

Firmo igitur Herodoto, Beroso et V. T. duobus fundamentis exstructo, quid de Ctesiae memoria iudicandum sit, inquiramus. A quo quum anno 883 Ninives eversio adscribatur (cf. s. p. 12), diversi diversa ratione eum a coniunctis ceterorum scriptorum testimoniis dissensum vel explicare vel componere periclitati sunt [1]. De quorum iis, qui viam miere falsissimam, ut neque illis, neque Ctesiae ausi diffidere bis Ninivem a Medis Babyloniisque destructam esse sibi persuaserint, quoniam iam satis quum a Loebellio (Weltgesch. I p. 557) tum ab Hupfeldo (Ex. Her. I p. 28 sq.) refutati sunt, verba facere supersedemus iam singula in quibus cum certa memoria Ctesiam dicere possumus vel consentire, vel ab ea dissidere significaturi.

Etenim quum Ctesiae laterculum duarum dynastiarum regna complectatur, in duas partes distinguendum est, ita ut altera omnes a Nino usque ad Beleum, altera a Balatora usque ad Sardanapalum reges comprehendat (cf. s. p. 11). Inter quas eam rationem intercedere tentabimus probare, ut haec totum illud certae historiae spatium, cuius tempora modo definivimus, ista fabulosam potius aetatem complectatur. Etenim quum Beleum, regem ex Dercetadarum gente ultimum, Balatoram quendam hortis regiis praefectum imperio privasse eoque ipsum potitum esse Polyhistor, Ctesiam secutus, autor sit (cf. Agath. ed. Nieb. II p. 25. Sync. p. 676 ed. Dind.), id cum Berosi Eusebiique testimonio, qui Belochum — ita enim vocat Beleum — filiam habuisse adnotat Atossam, cui etiam Semiramidi nomen fuerit, post Koopmansum (De Sardanapalo p. 64 sq.) iam ab Hupfeldo (l. s. p. 45 sq.) ita coniunctum est, ut eam quae a Balatora in tori regnique societa-

ex eo, quod omnes eorum cycli (σάρος, νῆρος, σῶσσος), ex 10 X 6 multiplicatione efficiebantur, apparet; ita ut hoc quoque sententiae nostrae praesidio sit.

1) De tentaminibus chronographorum vide Hupfeldum I p. 29; quid Moses commentus sit, iam supra attigimus (cf. M. Cl. p. 60).

tem assumpta sit, a Semiramide quam Berosus anno 1273 Assyriis commemorat imperasse, diversam non esse statueret. Quod quum illi e Ctesiae calculis confirmare conarentur, neuter nisi ratione perversissima [1] id assecutus est. Nuper denique a firmiore profectus fundamento Gutschmidius meus rem aggressus est quamquam is quoque a veritate paullum discessit. Nam rectissime quidem ille Diodoro et Cephalione ducibus, quorum utrumque, si unum illud excipis, quod hic septem regibus omissis Teutamo Sardanapalum successisse statuit, fideles Ctesianae memoriae testes esse vidimus, ex Eusebii laterculo [2] inter depravatos integerrimo genuinam

1) Nam alter quidem fallaci Velleii Paterculi calculorum fundamento nititur (cf. l. s. p. 90 sq.) alter Hupfeldus ut alteram dynastiam anno 1317 ad regnum pervenisse demonstraret, id subductione effecit erroribus contaminata. Etenim repudiato genuino Ctesiae numero a. 1306, et additis ad annum 606 cui Sardanapali finem adsignat annis 1360, Nini accessum anno 1966 adscribit. Iam ab eo a. id spatium, quod ab Eusebio inter Ninum Belochumque computatur, subducit.

2) Euseb. I, 98 A. cf. can.

Ninus	a. 52		Balatoras	a. 30	
Semiramis	a. 42		Lamprides	a. 32	
Ninyas	a. 38		Sosmares	a. 20	(corr. 8)
Arius	a. 30		Lampares	a. 30	
Aralius	a. 40		Pannias	a. 42	
Xerxes	a. 30		Sosarmus	a. 19	
Amramithes	a. 38		Mithraeus	a. 27	
Belochus	a. 35		Teutamus	a. 32	
Balaeas	a. 52	(corr. 12)		232	
Altadas	a. 32		Sub eo Ilium captum fuit.		
Mamithus	a. 30		Teutaeus	a. 40	
Machchaleus	a. 30		Thinaeus	a. 30	
Sphaerus	a. 22		Dercylus	a. 40	
Mamilus	a. 30		Eupalmes	a. 38	
Sparethus	a. 40		Laosthenes	a. 45	
Ascatades	a. 40		Pyritiades	a. 30	
Amintas	a. 45		Ophrataeus	a. 21	
Belochus	a. 25	(corr. 45)	Ophatanes	a. 50	
	651		Acrazanes	a. 42	
			Sardanapallus	a. 20	
				356	

Eius filia Batossa, quae Semiramis (cf. II, 113) nominata est, regnavit cum illo a. XVII. Dionysius et Perseus his temporibus fuerunt (Cf. I p. 99).

Sub eo Lycurgus Lacedaemoniis leges ferebat.

Ctesiae memoriam expiscari conatur. Ita fit, ut quum Teutami successorem, regem vigesimum tertium regni, anno 1013 imperium incepisse Cephalion auctor sit (Mueller Fr. h. Gr. III, 627) [1], magna cum confidentia totum spatium a Teutami excessu usque ad imperii finem secundum Ctesiam 294 (1306 — 1012 = 294) fuisse annorum, quo reges imperium habuerint octo (30 — 22 = 8), contendi queat [2]. Nam quod Eusebius annos computat 356,

1) Fragm. hist. Gr. ed. Mueller III p. 627: „Hinc diserte ait missum esse a Teutamo auxilium . . . Ait postea diserte Sardanapallum anno tertio decimo supra millesimum Assyriorum regem creatum: cuius et exitium memorat.“ Cf. p. 626: „Siquis tamen avet hos reges apprime cognoscere, Ctesias diserte eos nominatimque recenset, quod ego quidem sciam, tres supra viginti. In quibus genuinos Ctesiae numeros latere inde manifestum est, quod et Teutamum vigesimum secundum fuisse regem Diodori (II, 22, 26) testimonio certum est, et Teutamum anno imperii 1012 obiisse Eusebii (II, p. 135 ed. Aucher) memoria, quam ex Ctesia fluxisse absimile non est, illius anno XXV. Ilium esse captum confirmat. Nam si secundum Ctesiam annus Teutami XXXII. idemque ultimus anno a. Chr. incidit 1177 (2188 — 1012 = 1176 vide p. 12), annus 1184, cui Ilii excidium ab eo adscriptum est, annus XXV Teutami esse debuit; ita ut, id quod propter ea addo, quae supra p. 12 not. 4 disputavi, Ctesiam a Nini accessu usque ad Ilium captum 1005 annos (1012 — (32 — 25) = 1005) computasse probetur. — Ceterum quae verbis: „Tum reges alios singillatim recenset (sc. post Ninum, Semiramidem et Ninyam), quorum dominationem mille annis stansisse docet“ et „dicit praeterea si quis mille annos a Semiramide ad Mithraeum numeret, eum rationes constare deprehensurum,“ numerorum insunt menda Eusebii incuriae erunt imputanda. Nam neque Ctesiae, neque Cephalionis rationibus mille annos vel inter Ninyam Sardanapalumque vel inter Semiramidem atque Mithraeum computatos respondere manifestum est.

2) Subieci tabulam qua quomodo inter Teutamum atque Sardanapallum regum series Ctesiana restituenda sit, pateat, Gutschmidium prorsus secutus, nisi quod unum annum, qui, ut genuina annorum

62 annos ideo addere coactus erat, quia, quum Teutami annus vigesimus quintus anno excidii Troiae, imperii vero excisio Lycurgi aetati a Ctesia adscriberetur, in illius anni definitione ab eo non dissidens hanc aeram in anno posuit anno 883 sexaginta fere annis posteriore (cf. supra p. 14). Iam eadem cum persuasione, qua haec vera esse affirmavimus, alterum, quod inter Teutamum Belochumque tempora annis 232 recte ab Eusebio comprehendi Gutschmidius contendit, negandum est. Nam quoniam annos 1012, quos a Nino usque ad Teutami mortem Ctesiam computasse constat, Eusebius 128 annis (1240 — 356 = 884; 1012 — 884 = 128) imminuit, ut Nini Abrahamique aetatem componeret, eum, prima usque ad Belochum regem laterculi parte foede corrupta, alteram a Balatora inde intactam reliquisse verisimile non est. In hanc contra omnes fere ab eo mutationes collatas esse ex Cephalionis testimonio (l. s.): „Deinde addit anno istius dominationis quadragesimo supra sexcentesimum rege Assyriorum Bellimo Perseum Danaes filium centum naves ad illorum regionem appulisse“, probatur. Etenim Bellimum a Beleo, vel Belocho rege primae dynastiae extremo diversum

294 summa efficeretur, praeter a. 61 demi debuit; non Thinaei, sed Sardanapali annis subduxi, temporum rationi consulturus de qua infra agetur. Duo nomina, quae 8 Ctesianis chronographos addidisse et nomina et regnorum spatia docent, uncis inclusi.

Teutamus	32
[Teutaeus	40]
Thinaeus	30
Dercylus	40
Eupalmes	38
Laosthenes	45
Pyritiades	30
[Ophrataeus	21]
Ophratanes	50
Acrazanes	42
Sardanapalus	19 (corr. 20)
Summa annorum	294.

non esse, ex Eusebiani laterculi comparatione satis apparet. Nam ut nominum mittam similitudinem et Perseus illius aetate ab utroque memoratur vixisse (cf. I, 99 Eus. ed. Auch.), et tempora ita conveniunt, ut quem alter anno fere imperii 640 regnum habuisse refert, alter a. 629—654 [1]) imperasse suis calculis significet. Itaque quia rationem vix invenias, qua motus Cephalion, in ceteris Ctesiae vestigiis apprime inhaerens, in hac re ab iis discesserit, ex miro cum eo consensu Eusebium quoque in illorum annorum enumeratione a Cnidio non discrepare colligitur. Quae quidem sententia eo etiam commendatur, quod ex eo calculo Balatorae alterius dynastiae autoris annus primus anno imperii incidit 654, ita ut id, quod forte factum non est, non tantum re ipsa, sed etiam temporum ratione in duas aequas partes regum series dissecetur (1306 = 653 + 653). Quo fit, ut a Belochi usque ad Teutami excessum 359 annos (1012 — 653 = 359) Ctesias computaverit necesse sit. Quos quum Eusebius annis 127 (359 — 232 = 127) imminuerit, quam fidem hac in re mereat apparet. Quae quum ita sint, ne cui quam ex annorum 232 et 294 additione annorum 526 summam effecit Gutschmidius [2]), quantumvis Ctesiae Berosique consensum demonstrare videtur, fraudi sit valde cavendum est.

Sed ne in refutando subsistamus, habet quo defendatur sententia altera illa Ctesiani laterculi parte id annorum 667 spatium, quod inter Semiramidem atque Sardanapalum intercessisse satis constat, comprehendi. Nam in summa quidem annorum tanta est concordia, ut hac ex parte nihil desideretur. Ex Ctesiae enim calculis aetas Semiramidis, quae annos 17 cum patre Belocho regnasse perhibetur (cf. Eus. I, 99) annis post Nini accessum 637—654, et si Sardanapali annum ultimum anno incidisse ponimus 607 annis a. Chr. 1276 —

1) Cf. s. p. 57 not. 2. Duos annos ausi sumus addere, ut aequam illam divisionem quae mox memorabitur efficeremus.

2) Is enim Ctesianae memoriae Sardanapalum a. 767-747 adsignat.

1259 (1306 + 606 = 1912. 1912 — 653 = 1259) adsignanda est, Berosus autem anno 1273 Semiramidem Assyriorum fuisse reginam autor est. Atque duplicem eum et numerorum et nominum consensum ne casu natum esse putemus, quod ea quoque, quae de ultimo rege Sardanapalo narrantur, miram Ctesiae ceterorumque concordiam produnt (cf. supr. p. 34 sq.), prohibemur. Sed quo minorem dissensum haec manifestant, tanto maiorem probare videntur reliqua. Nam ceterorum regum nec nomina, nec numerus, nec singula singulorum regnorum tempora convenire videntur. Verum ne id quidem eum morabitur, qui recte Gutschmidium sibi persuaserit monuisse similem esse rationem, qua Ctesias suum laterculum adornaverit ei rationi, quam Moses Chorenensis in Arsacidis Parthorum regibus enumerandis secutus sit. Is enim ut ex antiquorum scriptorum et ex numerorum liquet comparatione toties, quoties vel cognati vel affines in regno sese excipiebant, eorum iis, qui vel brevius vel ignobilius civitatem moderati sunt, silentio praeteritis, memoratu tantum dignissimos ordini inseruit, quorum singulorum regnis tot annos, quot vel successores, vel antecessores omissi imperarunt, adiecit, ita ut post certa intervalla in accessuum et excessuum temporibus uterque computus congruat [1]. Nomina autem Assy-

1) Quod quam verum sit satis apparebit, si ab eodem anno profectus seriem 14 regum, quos Moses enumeravit p. 388 sq. ed. Whiston. cum eo 27 regum laterculo comparaveris, quem Prinsepius (Note on the Historical Results deducted from recent discoveries in Afghanistan. London 1844 p. 30 sq.) confecit. Nam non semel videbis in utroque calculo regum accessus et excessus convenire, quod quominus demonstretur semper fieri, hoc obstat, quod nec de omnium Parthicarum rerum definitione temporum, nec de genuinis Mosis rationibus satis constat. Ceterum etiamsi Mosis calculi nihil comparationis suppeditarent, tamen nostra de Ctesia sententia non corrueret; qua id quoque, quod 30 regum *παῖδα παρὰ πατρὸς διαδέξασθαι τὴν ἀρχήν* (cf. Diod. II, 21, 15) legimus, explicatur. Singula enim regna singulas *γενεάς* exaequant.

rii quod sub Graecorum manibus non solum aut tota misere transformabantur aut exitus saltem barbari cum graecis finibus commutabantur, verum etiam nonnunquam ut videtur in illorum linguam domesticam vertebantur, mirandum non est, praesertim ne a novarum quidem vocum fabricatione chronographos se abstinuisse ex eo apparere reputanti, quod quum Ctesias triginta reges enumeraverit, illi praeter Cephalionem atque Mosem Chorenensem omnes eum numerum auctum ediderunt. Atque eiusmodi esse inter Teutamum et Sardanapalum nomina Teutaei et Ophrataei recte indagavit Gutschmidius comprobatus ille etiam a Mose Chorenensi, cui triginta regum debemus laterculum ita confectum, ut ceteris nonnunquam paulo propius Ctesiae accedat. Neque tamen tam deformata sunt omnia, ut nunquam genuinas formas queas dignoscere. Nam ut Semiramidem et Sardanapalum nunc mittamus, voce Ophratanes vel si Mosem sequimur Pharates nomen a Ptolemaeo Assarhaddoni inditum Ἀπαρανάδιος delitescat, forma autem Πυριτιάδης — hoc enim Περιτιάδης formae praeferendum est (Eus. II, 16 ed. Auch.) — si quidem in ultima nominis Salmanassaris parte ignis notionem vocula „azer“ expressam latere verum est (cf. Rosenmueller bibl. Alterth. I, 2 p. 127), hoc nomen transferri videtur atque idem etiam in v. Λαοσθένης cadat, quo nomen Phuli reddi comprobari fortasse poterit. Sed utcunque ea sunt, a temporum quidem ratione eam laterculi partem, cui certa comparationis momenta suppeditantur, favere magis, quam obstare concesseris, praesertim si Ctesiam, omissis Tiglat Pilesaris, Sargonis atque Sanacharibi regnis, eorum spatia per cetera ita disposuisse demonstrabitur, ut interiectis intervallis et accessuum et excessuum tempora cum certa ceterorum testium ratione prorsus conveniant. Quod quoties fieri potuit, toties factum esse tabula (cf. s. p. 59 not.), quam subieci, nisus sum explicare.

Rationes

Ctesiae:	ceterorum testium:
	Inter:
	a. 769 et 759 Phulus Palaestinam invasit.
45. Laosthenes usque ad a. 747	a. 747 eo regnante Assyriorum iugum exuere Babylonii (cf. s. p. 51).
	Inter:
	a. 757 et 728 Tiglat Pilesar Palaestinam petiit.
30. Kyr[illegible] a. 747–717	a. 719 Salmanassar Samariam delevit.
	Tempore post:
	a. 719 et ante a. 713 Satgon regnare incepit.
	a. 713–695 Sanacharibus r. a. 18.
50. Ophratanes a. 717–667	a. 695–667 Assarhaddon (Aparanadius) r. a. 28.
42. Acrazanes a. 667–625	a. 667–646 Sammuges a. 21.
19. Sardanapalus[1]) a. 625–606	a. 646–625 Sardanapalus Assyriis et Babyloniis, a. 625–606 solis Assyriis imperavit.

1) Ne ab annis 20 Sardanapali unum annum, qui, ut genuina Ctesiae memoria restitueretur, demendus erat, propter Cephalionis apud Eusebium testimonium: „Tum reges alios singillatim recenset . . neminemque eorum minus viginti annis sceptrum tenuisse" (Fr. h. gr. III, 626) temere subduxisse videar, id reputandum est nec de fide Eusebii (cf. s. p. 58 not. 1 extr.) neque de eo satis constare, num ad omnes reges illud referendum sit.

Nam quamquam certam rationem vix reperias, quare Acrazani praeter ipsius regni spatium etiam Sardanapali ea regni pars, quae Babyloniorum defectionem antecessit, adscripta inveniatur, tamen et illud manifesto potius consensum fontium, quam dissensum probat. Ceterum si haec omnia, quae mutua et numerorum et nominum concordia mirum quantum confirmantur, vera sunt, iam confidenter anno 747 ad imperium accessisse Tiglat Pilesarem, a. 717 Sargonem quatuor annorum (717—713) regnum incepisse contendi potest, quarum rerum utraque antea nonnisi probabiliter ex biblicis calculis coniici potuerat. Tamen ad liquidum tum demum ea poterunt perduci, si vel ex inscriptionibus vel aliunde plura comparationis momenta prodierint. Nec nisi tum quos reges exhibuerit Ctesias quosve inter Ninum Teutamumque intruderint chronographi [1], num genuinus sit 45 regum numerus quem a Beroso VII. dynastiae legimus tribui [2], num ea quam Herodotus I, 184 commemorat Semiramis, Nitocride quinque generationibus superior, cum illa filia Belochi eadem sit neone, ad eamque ea referenda sint opera, quae a Ctesia tribuuntur Nini uxori, quamquam hoc postremum iam nunc probabile fieri sentio, erui et disceptari poterit. Id tantum pro certo affirmamus a. 1273 ma-

1) Recte fortasse Gutschmidius Balatoram XV. fuisse ex Ctesiae sententia regem statuit, comprobatns, id quod eius eruditioni debeo, Dicaearchi testimonio (cf. Fr. h. Gr. II p. 237): *ἀπὸ δὲ τούτου (sc. Νίνου) τέταρτον ἐπὶ δέκα βασιλέα γενόμενον, ᾧ τοὔνομα Χαλδαῖον εἶναι λέγουσι, (ὃν) φασι καὶ Βαβυλῶνα τὴν ὀνομαστοτάτην πόλιν περὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν κατασκευάσαι.* Quo fit, ut Eusebius inter Ninum et Balatoram quatuor reges inseruisse putandus sit; quod mirum non est. Etenim nimia regnorum spatia, quae chronographos inducebant, ut in prima seriei parte numeris non mutatis regum nomina adderent, in alterius dynastiae usque ad Thinaeum regnis, subductis annis 127, minuebantur; in tertia denique laterculi parte additis annis 62, ut duo reges adicerentur, causae fuerunt.

2) Cf. Gutschmid. l. s. p. 257.

gnam Asiae partem sibi Assyrios subdidisse regnante Semiramide. Quod si Ctesias exeunte saeculo vigesimo altero accidisse et saeculo nono imperium refert interiisse, id ex fontibus hausit, in quibus minus veritati, quam ei studio prospectum fuit, quod regnorum initia et antiquiora et augustiora reddere solet; quod quidem illo loco in Assyrios, proximo in Medos cadit, qui primo rege se non libertatem tantum adeptos verum etiam Assyriorum imperio potitos esse tradebant. Hinc ortum fuerit, ut duo eventa, quorum alterum a. 753 alterum a. 606 accidisse constat, coniungerentur, quorum utrumque Ctesias, Medici imperii spatio mire producto, cum Lycurgi aera nescio quo errore seductus composuit. Quae utcunque sese habent, id tenendum est nec saeculo nono imperium interiisse, nec a saeculo inde vigesimo altero usque ad a. 1273 tantum illud fuisse, quantum visum est Cnidio; immo angustis ea aetate finibus circumscriptum fuisse et Berosus (cf. s. p. 17), qui Arabes et Chaldaeos tum temporis Babyloni refert imperasse, et inscriptiones Aegyptiae [1]), quae post Tothmem III plures duodevigesimae et undevigesimae dynastiae [2]) reges, quorum ultimus fuit Ramesses II (cf. Ios. c. Ap. I, 15), in Mesopotamiam usque excessisse testantur. Nec eam denique aetatem ex Ctesiae calculis Ninus attingit, qua Manetho Assyriorum opes magnopere floruisse testis est [3]). Quae quum ita sint, quid de tota ista inter Ninum Belochumque regum serie statuen-

---

1) Cf. Birch Observations on the statistical Tablet of Karnak in Actis societ. Angl. Asiat. vol. II (new series) p. 345 sq.

2) Dyn. duodevigesima secundum Bunsenium (III p. 122) ab anno inde 1638, secundum Boeckhium ab anno 1655, undevigesima sec. Buns. ab a. 1409, sec. Boeckh. ab a. 1326 Aegypto imperavit.

3) Manetho ap. Ios. c. Ap. I, 14, qui de Salate primae pastorum dynastiae rege (sec. Buns. l. s. ab anno inde 2567; sec. Boeckhium 2607) haec habet: *προορώμενον Ἀσσυρίων τότε μεῖζον ἰσχυόντων.*

dum sit, ambigitur. Quamquam nec quod voluit C. Muellerus (l. s. p. 167.) alterum laterculi partem ex altera ortam esse probabile, nec improbabile est praeter Ninum et Semiramidem, quibus tertius fortasse Ninyas accedit, illos omnes Assyriae re vera imperasse.

Omnium postremo id curavimus, ut quantus sit secundum nostram disputationem inter diversas diversorum fontium rationes temporum consensus, brevi in conspectu intueri possis.

Corrigenda.

P. 2 not. 1 l. 1 Phoenicier.
„ 11 l. 10 Balatoras.
„ 15 l. penult. σώσσων.
„ I c. 6 nomen v. ill. Rawlinsoni non semel depravatum legi debeo.
„ 25 l. 19 Merodach.
„ 30 l. 16 Saracus.
„ 32 l. 31 indl.

Ctesiae
(ab a. 606 computa

1306

653

Ninus ab a. a. C
Semiramis
|
Belochus solus
c. Semiramide a.

359

Balatoras ab a.
Lamprides
Sosmares
Lampares
Pannias
Sosarmus
Mithraeus
Teutamus

294

30 Thinaeus ab
40 Derusus
38 Eupalmes
45 Laosthenes
30 Pyritiades
50 Ophratanes
usque
42 Acrazanes
usque
19 Sardanapal
vel Thonos-C

Momentorum quae certa nobis prodierunt collatio.

Ante Chr.
saeculo.
XXVI. Assyrii in Asia praevaluere.

Anno
1276 regnum Semiramis incepit.
1273 Babylonii et Medi Assyriis subiecti sunt.

753 Assyriorum rege Phulo, Medi;
747 Babylonii iugum exuere.
747 Tiglat Pilesar ad imperium pervenit. Eum Salmanassar secutus est (—717).
717 Sargon successit (-713).
713 Sanacharibus successit, qui Babylonios in ditionem redegit.
711 San. Palaestinam invasit.
695 Asordanus regnum incepit;
667 Sammuges;
646 Sardanapalus (-606).
625 duce Nabopolassare Babylonii sese liberarunt.

606 Assyriorum imperium a Cyaxare et Nabopolassare exstinctum est.